Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Publius Vergilius Maro

Publii Virgilii Maronis Opera : Studio Singulari Recognita


Editio Tertia, Halae: Impensis Orphanotrophei, MDCCXC

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0001
DFG


Nov
3782

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0002
DFG

PUBLII VIRGILII
MARONIS
OPERA
STUDIO SINGULARI
RECOGNITA.

EDITIO TERTIA.

HALAE,
MPENSIS ORPHANOTROPHEI,
MDCCXC.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0005
DFG

VITA
MARONIS
EX DIVERSIS.

Publius Virgilius Maro, poëtarum Latinorum facile princeps, tenui ſtirpe, patre nempe figulo, natus eſt in pago quodam prope Mantuam, Andes dicto an. V. C. 684. Cn. Pompejo Magno et M. Licinio Craſſo Coſſ. Mater ipſius Maja, cum uterum ferret, ſomnoque aliquando dulci adquieſceret, per ſomnium enixam ſe eſſe vidit laureum ramum, qui terræ compactus, in ſpeciem maturæ arboris, refertæ variis pomis et floribus, illico excrevit. Quo viſo nocturno, tanquam prænuntio futurorum filii fatorum felicium, læta erat admodum. Toga virili An. ætatis XVI. ſumta, litteris Græcis et Latinis, non minus etiam Medicinæ et Matheſeos ſtudio magnam dedit operam. Poëticæ poſtea rei animum adjungens, ingenii præſtantis felicitate, ſuavitate etiam vocis accedente, eo rem perduxit, ut Auguſto imperatori

tori esset acceptissimus. Corpore et statura fuit grandi et valetudine varia, utut temperantiæ fuerit studiosus. Donato auctore, hunc in versibus conficiendis morem tenuit, ut horis matutinis plurimos scriberet, horis vero pomeridianis, ubi calor ille deferbuisset, eosdem incudi redderet ac limaret: idemque addit, sæpe ex centenis vix quaternos aut senos reliquisse non aliqua ex parte commutatos: eaque propter dicere fuisse solitum, se ursæ in modum fœtus edere informes, quos denique lambendo effingeret. Bucolica hac usurpata ratione intra triennii, Georgica intra septennii absolvit spatium, iisque libris apud litterarum amatores Romæ tantam iniit gratiam, ut ab ipso Cicerone, Magnæ spes altera Romæ, acute arguteque vocaretur. Libris Aeneidos plurimorum eruditorum consensu XII annorum impendit spatium. Quum vix scribere cœpisset Aeneida, tanta ejus exstitit fama, ut Sext. Propertius non dubitarit exclamare:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji:
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Gloria,

Gloria, cujus ipse non adeo cupidus fuit, ita eum tamquam laboris filia comitata est, ut non modo vivus omni Italiæ esset in pretio atque deliciis, sed mortuus etiam ad nostra usque tempora poëscos suæ præclaros ubique præcones invenerit. Mortuus est Brundusii, anno ætatis quinquagesimo secundo, cum Augusti comes ex Græcia rediens nimio caloris æstu gravem morbum contraxisset. Ossa tamen Neapolin fuere translata, ibique condita sepulcro, cui sequens, quod vivus sibi ipse fecisse fertur, inscriptum fuit epitaphium:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Habuit quidem noster Maro, quorum vestigia persequi potuit, uti satis constat, eum in Eclogis Theocritum sibi imitandum proposuisse, in Georgicis vero Hesiodum, atque in libris Aeneidos Homerum. Non inepte tamen judicant, qui, quod omnes tres Græci poëtæ præstiterunt, id unum præstitisse

Virgilium dicunt. Dignus igitur Cantus *) Andinus est, qui in scholis audiatur: eoque nomine tanto lubentius officina orphanotrophei libraria hanc curam suscepit, ut excellens hic poëta in usum juventutis denuo prodiret, iis quidem typis, quibus aliquot hucusque auctores classici, utpote Cornelius Nepos, Julius Cæsar, Epistolæ Ciceronis, ejusdemque de officiis Libri, Curtius et Eutropius, mendis, quoad fieri potuit, vitatis, in lucem emissi sunt. Halæ in Orphanotropheo V Calend. Mart. cIↃ IↃcc xxxxvi.

*) Andinus vocatur Virgilius a patria Andes, hinc Cantus Andinus Silio Lib. VIII. v. 594. et 595. nihil aliud est, quam Cantus Virgilianus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0010
DFG

P. VIRGILII MARONIS BUCOLICON LIBER.

TITYRUS. ECLOGA I.

ARGUMENTUM.

Quum Virgilius, cujus personam hic sustinet Tityrus pastor, agrum vicinum Cremonæ amisisset, Romam venit: ubi, quum sua eum carmina Mæcenati commendassent, Mæcenas autem Augusto, agrum recuperavit. Tityrum igitur felicem esse prædicat pastor Melibœus, (sub cujus nomine cæteri quoque pastores Mantuani intelliguntur,) et suam contra calamitatem deplorat, finibus suis a milite veterano pulsus. Ipse autem Tityrus se tanti beneficii auctorem colere et semper culturum esse profitetur.

MELIBOEUS. TITYRUS.

Mel. Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

T. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.
M. Non equidem invideo: miror magis. Undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus æger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus:
[Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.
T. Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Noram: sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
M. Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
T. Libertas: quæ, sera, tamen respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim), dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi:
Quamvis multa meis exiret victima septis,

Pin-

Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi,
Non umquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
M. Mirabar, quid mœsta deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsæ te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.
T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri: submittite tauros.
M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt?
Et tibi magna satis? quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua junco:
Non insueta graves tentabunt pabula fœtas:
Nec mala vicini pecoris contagia lædent?
Fortunate senex, hic, inter flumina nota
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes,
Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
T. Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces:
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,

Quam noſtro illius labatur pectore vultus.
M. At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros?
Pars Scythiam et rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
En, umquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis et tugurî congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor ariſtas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en, quo diſcordia cives
Produxit miſeros! en, quîs conſevimus agros!
Inſere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac, viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me paſcente, capellæ,
Florentem cytiſum et ſalices carpetis amaras.
T. Hic tamen hanc mecum poteras requieſcere noctem,
Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, et preſſi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

ALE-

ALEXIS. ECLOGA II.

ARGUMENTUM.

Corydon pastor, Alexidis pueri amore captus, nihil eorum prætermittit, quæ ad puerilem animum demulcendum, mutuumque amorem conciliandum, possunt pertinere: verum, ubi se neque querelis, neque blanditiis, aut munusculis quidquam proficere intelligit, tandem ad se rediens, dementiamque suam agnoscens, ad intermissam rei familiaris curam sibi statuit revertendum: ut assueto labore infelicis sui amoris (qui fere ex otio nasci solet) tædium discutiat. Sub Corydone autem (si Donato credimus) Virgilium; sub Alexide Alexandrum intelligimus, Pollionis puerum: quem ab eo postea dono accepit.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat. Ibi hæc incondita solus
Montibus et silvis studio jactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant:
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos:
Thestylis et rapido fessis messoribus æstu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quæris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æstate, novum non frigore defit.
Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnim
Judice te metuam, si numquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Hœdorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, ovium que magistros.
Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas, invidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo,

Bina

Bina die siccant oves ubera: quos tibi servo.
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat:
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo.
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis:
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt Di quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvæ.
Torva leæna lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

PALAEMON. ECLOGA III.

ARGUMENTUM.

Menalcas et Damœtas, pastores, mutuis primum inter se conviciis certant: mox, interveniente Palæmone judice, amœbæi carminis lege disceptant: ubi neuter vincitur, sed uterque alteri, Palæmonis sententia, exæquatur, ex 4. 5. et 8. Idyll. Theocriti.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

M. Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Meliboei?
D. Non; verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper oves pecus! ipse Neæram
Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,

Et

Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.
M. Tum, credo, quum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.
D. Aut hîc ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas:
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
M. Quid domini faciant, audent quum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater; est injusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter et hœdos.
Verum id, quod multo tute ipse fatebere majus,

(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: et quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet:
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaque in medio posuit: silvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies: veniam, quocumque vocaris.
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla:
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas.
P. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent silvæ: nunc formosissimus annus.
Incipe, Damœta: tu deinde sequêre, Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ.
D. Ab Jove principium, Musæ: Jovis omnia plena:
Ille colit terras: illi mea carmina curæ.

M. Et

M. Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.
M. At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas:
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi: cras altera mittam.
D. O quoties et quæ nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divum referatis ad aures!
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit:
Et, longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.
M. Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat & pedibus qui spargat arenam.

D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.
D. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
M. Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre, pascentes a flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
M. Cogite oves, pueri: si lac præceperit æstus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
D. Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
M. His certe neque amor causa est: vix ossibus hærent.
Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
D. Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.
M. Dic, quibus in terris inscripti nomine regum
Nascantur flores: et Phyllida solus habeto.
P. Non nostrum inter vos tantas componere lites:
Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt.

POLLIO.

POLLIO. ECLOGA IV.

ARGUMENTUM.

Asinius Pollio, ductor Germanici exercitus, quum post captas Salonas, Dalmatiæ civitatem, primo meruisset lauream, post etiam consulatum adeptus fuisset: eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Salonium vocavit: cui nunc Virgilius genethliacum dicit. Hæc Servius. Huc autem detorquet, quæ Sibylla de futura aurei seculi felicitate cecinerat. Obiter tamen et Pollionis patris et ipsius etiam Augusti laudes admiscet. Nam quod dicit, Pacatumque r. p. v. o. de Augusto quidam intelligunt, qui a C. Jul. Cæs. fuit adoptatus. Alii hoc quoque ad Salonium referunt: et intelligunt principium magni anni, quem cecinit Sibylla, procedere consulatu Pollionis, quo ille puer nascitur: ut magni menses sint magni anni menses.

Sicelides Musæ, paullo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ.
Si canimus silvas, silvæ sint Consule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo: redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.

Teque adeo decus hoc ævi, te Conſule, inibit,
Pollio: et incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſi qua manent, ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu,
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et ſerpens, et fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quæ ſit poteris cognoſcere virtus;
Molli paullatim flaveſcet campus ariſta,
Incultisque rubens pendebit ſentibus uva:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri inſindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet et ipſe mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.

Ro-

Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſæcla, ſuis dixerunt, currite, fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Adgredere o magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deûm ſuboles, magnum Jovis incrementum!
Adſpice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum:
Adſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et, quantum ſat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis atque huic pater adſit:
Orpheï Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Incipe, parve puer: cui non riſere parentes,
Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

DAPHNIS. ECLOGA V.

ARGUMENTUM.

Menalcas et Mopsus pastores, Daphnidis, pastoris Siculi, quem Mercurius genuit, Pan musicam docuit, mortem deflent: alterque ejus epitaphium, alter apotheosin canit. Sunt qui per Daphnim Cæsarem dictatorem intelligi putent, paulo ante quam hæc scriberet poeta, tribus et viginti vulneribus in curia confossum. Alii Quintilium Varum accipiunt, in Germania cum tribus legionibus cæsum. Alii Flaccum Maronem intelligi malunt, Virgilii fratrem: de quo extat pervulgatum quidem illud, sed incerti auctoris, distichon:

Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem diis immortalibus æquas.

Salonium alii, cujus genethliacon superiore Ecloga cecinit, nunc vero ejusdem fato functi apotheosin canit. Ad primum vero et undevicesimum Theocr. Idyll. expressit hanc Eclogam noster.

MENALCAS. MOPSUS.

ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?
MO. Tu major: tibi me est æquum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras,
Sive antro potius succedimus: adspice, ut antrum
Sil-

Silvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
MO. Quid, si idem certet Phœbum superare canendo?
ME. Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe: pascentes servabit Tityrus hœdos.
MO. Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
MO. Sed tu desine plura, puer: successimus antro.
Exstinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant: vos coruli testes et flumina Nymphis:
Quum, complexa sui corpus miserabile gnati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis adtigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigris
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pingui bus arvis;

Tu

Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis: inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
DAPHNIS EGO IN SILVIS, HINC USQUE AD SIDERA NOTUS,
FORMOSI PECORIS CUSTOS, FORMOSIOR IPSE.
ME. Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine: quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus: Daphninque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
MO. An quidquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus: et ista
Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.
ME Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet, Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis

Ulla

Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: Deus, Deus ille, Menalca.
Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo;
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi:
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas et Lyctius Aegon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, et quum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
MO. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?
MO. At tu sume pedum, quod, me quum sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, (et rat tum dignus amari)
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

SILE-

SILENUS. ECLOGA VI.

ARGUMENTUM.

Silenum in hac Ecloga inducit, ebrium quidem illum, ut Bacchi educatorem decebat, sed tamen perite secundum Epicureorum opinionem de rerum primordiis canentem, idque in gratiam Quintilii Vari, qui (teste Donato) una cum Virgilio huic sectæ sub Silone Philosopho operam dedit. Ceterum, quoniam hæc Bucolici carminis humilitati non satis conveniebant, statim ab initio veniam precatur, neque ita multum argumento illi immoratus, statim ad fabulas transit.

FAUNORUM SATYRORUM ET SILVANORUM DELECTATIO.

Prima Syracusio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Quum canerem reges et prœlia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano: si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget; te nostræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho:
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant:

Et

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam sæpe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle:
Aegle, Naïadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Soluite me, pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite: carmina vobis;
Huic aliud mercedis erit: simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes:
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orpha.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animæque marisve fuissent
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Cœperit, et rerum paullatim sumere formas.
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres.
Incipiant silvæ quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,

Pasi-

Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in lævi quæsisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas:
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphæ,
Dictææ Nymphæ, nemorum jam claudite saltus:
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia. Forsitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum:
Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis:
Ut Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
Ascræo quos ante seni: quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Can-

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
(Ah!) timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit. Pulsæ referunt ad sidera valles.
Cogere donec oves stabulis numerumque referre
Jussit, et invito processit vesper Olympo.

MELIBOEUS. ECLOGA VII.

ARGUMENTUM.

Sumtum est Eclogæ hujus argumentum ex Bacoliasis Theocriti. Inducit autem hic poeta Melibœum pastorem referentem certamen Corydonis et Thyrsidis, cui (cum caprum, qui a grege deerraverat, quæreret) forte intervenerat, accersitus a Daphnide certaminis judice: quem secundum Corydonem pronunciasse innuit, cum ait ad finem Eclogæ, Hæc memini et victum frustra contendere Thyrsin. *Per Corydonem autem Virgilium intelligi volunt, per Thyrsin, Theocritum, aut alium quempiam.*

MELI-

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

M. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat. Atque ego Daphnin
Adspicio: ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Melibœe: caper tibi salvus et hœdi.
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida, habebam,
Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum,
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere: alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
C. Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phœbi
Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
T. Pastores, hedera crescentem ornate poetam, Arca-

Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
c. Sætosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
t. Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.
c. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formosior alba:
Quum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
t. Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.
c. Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite. Jam venit æstas
Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.
t. Hîc focus et tædæ pingues, hic plurimus ignis
Semper, et adsidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
c. Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ:
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.
Omnia nunc rident. At, si formosus Alexis

Montibus his abeat, videas et flumina ſicca.
T. Aret ager: vitio moriens ſitit aëris herba:
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu noſtræ nemus omne virebit:
Juppiter et læto deſcendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corulos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phœbi.
T. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Sæpius at ſi me, Lycida formoſe, reviſas,
Fraxinus in ſilvis cedat tibi, pinus in hortis.
M. Hæc memini et victum fruſtra contendere Thyrſin.
Ex illo Corydon Corydon eſt tempore nobis.

PHARMACEUTRIA. ECLOGA VIII.

ARGUMENTUM.

Duæ ſunt Eclogæ hujus partes. In priore Damon Paſtor, Niſæ puellæ amore captus, cum illa ſibi Mopſum prætuliſſet, impatientia amoris in varias erumpit querelas. Poſterior pars pæne tota ſumta eſt ex Theocriti ejusdem nominis Idyllio, in quo venefica quædam phar-

pharmacis et incantationibus animum viri, a quo sperne-batur, ad sui amorem conatur revocare.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis Musam dicemus et Alphesibœi.
Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit umquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium: tibi desinet. Accipe jussis
Carmina cœpta tuis: atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba est:
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.
D. Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum.
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, et divos (quamquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

Mopso Nisa datur. Quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis: ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,
Hirsutumque supercilium, promissaque barba:
Nec curare deûm credis mortalia quemquam.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum mi jam ceperat annus:
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sævus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Commaculare manus. Crudelis tu quoque, mater;
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus: narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra myricæ:
Certent et cygnis ululæ: sit Tityrus Orpheus:

Or

Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite ſilvæ.
Præceps aerii ſpecula de montis in undas
Deferar. Extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine, Mænalios jam deſine, tibia, verſus.
Hæc Damon: vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,
Dicite, Pierides. Non omnia poſſumus omnes.
A. Effer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta:
Verbenasque adole pingues et maſcula tura:
Conjugis ut magicis ſanos avertere ſacris
Experior ſenſus. Nihil hîc niſi carmina deſunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam:
Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco. Numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte, Amarylli, modo: et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic dureſcit, et hæc ut cera liqueſcit

Uno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec feræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quæ nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando. Debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris. Nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, et se condere silvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque fatas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres, Amarylli, foras: rivoque fluenti
Transque caput jace: ne respexeris. His ego Daphnim
Adgrediar, nihil ille deos, nil carmina curat.

Ducite

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Adspice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est: et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.

MOERIS. ECLOGA IX.

ARGUMENTUM.

Post Philippensem victoriam, cum in distributione agrorum, qui Triumvirorum jussu trans Padum dividebantur, sua quoque prædia Virgilius amisisset, Romam profectus, cum favore ingenii, tum præsertim adjuvante Pollione transpadanæ regionis præfecto, possessiones suas recepit. Verum ægre id ferente Arrio, cui forte Virgilii fundum in portionem cesserat, parum abfuit, quin ab irato milite interficeretur. Denuo itaque Romam profecturus præcepit procuratori, ut Arrio usque ad reditum suum, quam minimo posset detrimento suo, obsequeretur. Is igitur ex patroni sui præcepto Mantuam proficiscitur, hædorum aliquod munusculum Arrio oblaturus. Mœrin subsequitur Lycidas pastor, itineris ejus causam inquirens. Ibi nactus occasionem Mœris, tem-

porum illorum calamitatem deflet. Deinde una Mantuam euntes itineris tædium variis sublevant cantilenis.

LYCIDAS. MOERIS.

L. Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod numquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Hæc mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.
L. Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres, jam fracta cacumina, fagos,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.
M. Audieras; et fama fuit. Sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacumque novas incidere lites
Ante siniſtra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.
L. Heu! cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,

Quum

Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, noſtras?
Tityre, dum redeo (brevis eſt via), paſce capellas:
Et potum paſtas age, Tityre: et inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.
M. Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.
Vare, tuum nomen (ſuperet modo Mantua nobis,
Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!)
Cantantes ſublime ferent adſidera cygni.
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos:
Sic cytiſo paſtæ diſtendant ubera vaccæ.
Incipe, ſi quid habes. Et me fecere poetam
Pierides: ſunt et mihi carmina. Me quoque dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.
M. Id quidem ago; et tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,
Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.
Huc ades, o Galatea. Quis eſt nam ludus in undis?
Hîc ver purpureum: varios hîc flumina circum
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Immimet, et lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: inſani feriant, ſine, litora fluctus.
L. Quid? quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? numeros memini, ſi verba tenerem.
M. Daphni, quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus: et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Insere, Daphni, piros: carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque. Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina. Vox quoque Mœrim
Jam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas.
L. Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet æquor: et omnes
(Adspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via: namque sepulcrum
Incipit adparere Bianoris. Hîc, ubi densas
Agricolæ stringunt frondes, hîc, Mœri, canamus:
Hîc hædos depone, tamen veniemus in urbem.
Aut, si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via lædat) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fascе levabo.
M. Desine plura, puer: et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

GALLUS. ECLOGA X.

ARGUMENTUM.

Cornelius Gallus eximius poeta fuit, primusque Aegypti præfectus, qui cum Cytherеiden meretricem, Volumnii libertam, quam poeta hic Lycoridem vocat, perdite

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0046
DFG

perdice adamaret, neque illa mutuo amori responderet, sed, ipso spreto, Antonium in Galliam sequuta esset, ægerrime repulsam tulisse creditur. Eum itaque hac Ecloga consolatur Virgilius, sed ita ut a pastoralibus personis rusticisque comparationibus non secedat. Totum autem fere hoc Argumentum sumtum est ex Thyrside Theocriti, ubi similem Daphnidis amorem exequitur.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. Neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe. Sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ,
Non canimus surdis: respondent omnia silvæ.
Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ
Naïdes, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aoniæ Aganippæ.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ:
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus et gelidi fleverunt saxa Lycæi.
Stant et oves circum: nostri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta:
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit et opilio: tardi venere bubulci:
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.

Omnes, unde amor iſte, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid inſanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit et agreſti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas et grandia lilia quaſſans.
Pan deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.
Triſtis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit.
Montibus hæc veſtris; ſoli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certe ſive mihi Phyllis, ſive eſſet Amyntas,
Seu quicumque furor, (quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, et vaccinia nigra)
Mecum inter ſalices lenta ſub vite jaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hîc gelidi fontes: hîc mollia prata, Lycori:
Hîc nemus: hîc ipſo tecum conſumerer ævo.
Nunc inſanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adverſos detinet hoſtes.
Tu procul a patria (nec ſit mihi credere) tantum
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me ſine ſola vides. Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu

Car-

Carmina, paſtoris Siculi modulabor avena.
Certum eſt in ſilvis, inter ſpelæa ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illæ: creſcetis, amores.
Interea mixtis luſtrabo Mænala Nymphis:
Aut acres venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.
Jam mihi per rupes videor lucosque ſonantes
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula; tamquam hæc ſint noſtri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Jam neque Hamadryades rurſum, nec carmina nobis
Ipſa placent: ipſæ rurſum concedite ſilvæ.
Non illum noſtri poſſunt mutare labores:
Nec ſi frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis ſubeamus aquoſæ,
Nec ſi, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum verſemus ovis ſub ſidere Cancri.
Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori.
Hæc ſat erit, Divæ, veſtrum cecinisſe poetam,
Dum ſedet, et gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides. Vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.
Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra.
Juniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbræ.
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Propositio operis. Invocatio Numinum. Aratio. Ejus præcognita; arandi tempora; soli natura et discrimina; novalis prærogativa. Sementis. Pestes Satorum. Agriculturæ origo. Instrumenta rustica. Operum rusticorum tempora: quæ a cœli et siderum cognitione pendent. Tempestatum prognostica, a Sole et Luna. Prodigia, quæ Jul. Cæs. cædem secuta, præsagierunt civile bellum contra Brutum & Cassium.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis;
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber et alma Ceres; vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis:
Et vos, agrestum præsentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellæ:

Mu-

Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum, magno tellus percussa tridenti,
Neptune: et cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycæi,
Pan, ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis, o Tegeæe, favens, oleæque Minerva
Inventrix, uncique puer monstrator aratri,
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum:
Dîque deæque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges:
Quique satis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est, urbisne invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam, et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant: tibi serviat ultima Thule:
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur. Ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, et cœli justa plus parte relinquit.
Quidquid eris; (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus adnue cœptis,

Igna-

Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes
Ingredere, et votis jam nunc adsuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit;
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora, sensit:
Illius immensæ ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos et varium cœli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum:
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hîc segetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi atque injussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges æternaque fœdera certis
Imposuit Natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invortant tauri, glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis solibus æstas;
At si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ:

Hîc

Hîc, ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.
Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.
Aut tibi flava ſeres, mutato ſidere, farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, triſtisque lupini
Suſtuleris fragiles calamos ſilvamque ſonantem.
Urit enim lini campum ſeges, urit avenæ:
Urunt Lethæo perfuſa papavera ſomno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola; neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva.
Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis.
Sive inde occultas vires et pabula terræ
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias et cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſuccus in herbas:
Seu durat magis, et venas adſtringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia ſolis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, raſtris glebas qui frangit inertes
Vimineasque trahit crates, juvat arva: neque illum
Flava Ceres alto nequidquam ſpectat Olympo;
Et qui, proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,

Exer-

Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolæ: hiberno lætissima pulvere farra,
Lætus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messes.
Quid dicam, jacto qui semine cominus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ?
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes?
Et, quum exustus ager morientibus æstuat herbis,
Ecce supercilio clivoso tramitis undam
Elicit? illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Quum primum sulcos æquant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto late tenet omnia limo:
Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.
Nec tamen, hæc quum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil improbus anser,
Strymoniæque grues, et amaris intuba fibris,
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem aut partiri limite campum

Fas

Fas erat: in medium quærebant: ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit pontumque moveri:
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Ut varias usus meditando extunderet artes
Paullatim, et sulcis frumenti quæreret herbam:
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas:
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco,
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem,
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ:
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variæ venere artes. Labor omnia vicit
Improbus et duris urgens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit: quum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent silvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus: ut mala culmos
Esset rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus. Intereunt segetes: subit aspera silva,
Lappæque, tribulique: interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.
Quod nisi et adsiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci

Falce

Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum:
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum, et quæ sint duris agrestibus arma,
Quis sine nec potuere seri, nec surgere messes:
Vomis, et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheæque, et iniquo pondere rastri:
Virgea præterea Celei vilisque supellex,
Arbuteæ crates et mystica vannus Iacchi.
Omnia quæ multo ante memor provisa repones;
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri:
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo:
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis exploret robora fumus.
Possum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat;
Tum variæ illudant pestes: sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inventusque cavis bufo, et quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Cur-

Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem et ramos curvabit olentes,
Si superant fœtus: pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequidquam pingues palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius et nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset;
Et, quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, et multo spectata labore,
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxuma quæque manu legeret: sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis,
Hædorumque dies servandi, et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem:
Exercete, viri, tauros: serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Nec non et lini segetem, et Cereale papaver,
Tempus humo tegere, et jamdudum incumbere aratris:
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.

Vere

Vere fabis satio: tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci, et milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et aversо cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis:
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cœpere: sed illos
Exspectata seges vanis elusit aristis.
Si vero viciamque seres vilemque faselum,
Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis;
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes;
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper sole rubens et torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divum. Via secta per ambas.
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhiphæasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ devexus in austros.

Hic

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi:
Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, et obtenta densantur nocte tenebræ:
Aut redit a nobis Aurora diemque reducit:
Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi;
Et quando infidum remis impellere marmor
Convenit: quando armatas deducere classes
Aut tempestivam silvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem: cavat arbore lintres:
Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura sinunt. Rivos deducere nulla

Relli-

Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens
Incusum aut atræ massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenidesque satæ. Tum partu Terra nefando
Cœum Japetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter Pater exstructos disjecit fulmine montes.
Septuma post decumam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telæ
Addere. Nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut quum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.
Interea, longum cantu solata laborem,
Arguto conjunx percurrit pectine telas:
Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur æstu:
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus. Hiems ignava colono.

Frigo-

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu, pressæ quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta.
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores: tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verba fundæ,
Quum nix alta jacet, glaciem quum flumina trudunt.
Quid tempestates autumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies, et mollior æstas,
Quæ vigilanda viris? vel quum ruit imbriferum ver:
Spicea jam campis quum messis inhorruit, et quum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Sæpe ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi:
Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantes.
Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores

Diluit: implentur fossæ, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, coruscа
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ; et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit: ingeminant austri et densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, cœli menses et sidera serva,
Frigida Saturni sese quo stella receptet:
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
Inprimis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tunc agni pingues, et tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, et carmina dicat.
Atque hæc ut certis possimus discere signis,
Aestusque, pluviasque, et agentes frigora ventos;
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret:
Quo signo caderent austri: quid sæpe videntes
Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.

Con-

Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longe
Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.
Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
Quum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora: quumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ: notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisque per umbras
Flammarum longos a tergo albescere tractus:
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis quum fulminat, et quum
Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam imprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues: aut bucula cœlum
Suspiciens patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter: et bibit ingens
Arcus: et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Ducibus in stagnis rimantur prata Caystri,

Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem: testa quum ardente viderent
Scintillare oleum et putres concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere, et certis poteris cognoscere signis:
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi Alcyones: non ore solutos
Immundi meminere sues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt campoque recumbunt:
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequidquam seros exercet noctua cantus.
Adparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se sert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant: et sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos.

Haud

Haud equidem credo, quia fit divinitus illis
Ingenium aut rerum fato prudentia major.
Verum, ubi tempestas et cœli mobilis humor
Mutavere vias, et Juppiter uvidus austris
Denset, erant quæ rara modo, et, quæ densa, relaxat;
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.
Si vero solem ad rapidum lunasque, sequentes
Ordine, respicies; numquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.
Luna, revertentes quum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At, si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit;
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt:
Votaque servati solvent in litore nautæ
Glauco, et Panopeæ, et Inoo Melicertæ.
Sol quoque et exoriens, et quum se condet in undas,
Signa dabit: solem certissima signa sequuntur,
Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe;

Suspecti tibi sint imbres; namque urget ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, male tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso quum jam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At si, quum referetque diem condetque relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque, et æquora ponti,
Obscenique canes, importunæque volucres

Signa

Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens: et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesque loquutæ,
Infandum! sistunt amnes, terræque dehiscunt,
Et mœstum illacrimat templis ebur, æraque sudant.
Proluit insano contorquens vortice silvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ adparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit: et alte
Per noctem resonare, lupis ululantibus, urbes:
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura: nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter se paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra rubigine pila:
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
Dî patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,

Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete. Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.
Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem:
Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: sævit toto Mars impius orbe.
Ut, quum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Arborum procreandarum ratio; eaque vel naturalis; sponte, semine, radice: vel artificialis, avulsione, in-

infossione, propagatione, transpositione, surculo, insitione, et inoculatione. Species arborum; steriles et fructificæ. Quibus quæ sola conveniant. Italia aliis terris prælata. Terræ qualitas ut discerni possit. Vites et earum cura. Et olearum. Laus rusticæ vitæ cum aliis collatæ.

Hactenus arvorum cultus et sidera cœli:
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta, et prolem tarda crescentis olivæ.
Huc, pater o Lenæe, tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris,
Huc, pater o Lenæe, veni; nudataque musto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis:
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, camposque et flumina late
Curva tenent: ut molle siler, lentæque genestæ,
Populus, et glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: ut altæ
Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Aesculus, atque habitæ Grajis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva:
Ut cerasis ulmisque: etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.
Hos Natura modos primum dedit: his genus omne

Silvarum fruticumque viret, nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos:
Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius; mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo:
Neu segnes jaceant terræ. Juvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima nostræ,
Mæcenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox. Ades, et primi lege litoris oram.
In manibus terræ. Non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.
Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta et fortia surgunt.
Quippe solo natura subest. Tamen hæc quoque si quis
Inse-

Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum: cultuque frequenti
In quascumque voces artes, haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altæ frondes et rami matris opacant,
Crescentique adimunt fœtus, uruntque ferentem.
Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram:
Pomaque degenerant succos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor impendendus; et omnes
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus;
Plantis et duræ coruli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fœtu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentes:
Castaneæ fagos ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces

Plantæ immittuntur: nec longum tempus, et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes et non sua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, neque Idæis cypariſſis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
Orchades, et radii, et amara pausia bacca,
Pomaque, et Alcinoi silvæ: nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis:
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos:
Sunt Thasiæ vites, sunt et Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ:
Et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam:
Purpureæ, preciæque: et quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam Aminææ vites, firmiſſima vina:
Tmolius adsurgit quibus, et rex ipse Phanæus:
Argitisque minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, Dîs et mensis accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.
Sed neque, quam multæ species, nec, nomina quæ sint,
Est numerus: neque enim numero comprendere refert:
Quem

Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
Nec vere terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni:
Litora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.
Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ.
Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali; quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscuerintque herbas et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos ad prima tenax: animas et olentia Medi

Ora fovent illo, et ſenibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum, ſilvæ ditiſſima, terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaïa pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanis dentibus hydri;
Nec galeis denſisque virum ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges, et Bacchi Maſſicus humor,
Implevere: tenent oleæque armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hîc ver adſiduum, atque alienis menſibus æſtas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidæ tigres abſunt et ſæva leonum
Semina; nec miſeros fallunt aconita legentes;
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis,
Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros.
An mare, quod ſupra, memorem, quodque adluit infra,
Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque
Fluctibus et fremitu adſurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra:
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,

Tyr-

Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello: et te, maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus;
Magna virum: tibi res antiquæ laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique,
Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla, et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivæ.
Indicio est, tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis silvestribus agri,
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus,
Qualem sæpe cava montis convalle solemus
Despicere: huc summis liquuntur rupibus amnes
Felicemque trahunt limum: quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,

Hic

Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus, et ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et, quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et preſſo pinguis ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum (namque hoc imitamur arando),
Optima frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis:
Aut unde iratus ſilvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum ſtirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit impulſo vomere campus.
Nam jejuna quidem clivoſi glarea ruris
Vix humiles apibus caſias roremque miniſtrat:
Et tophus ſcaber, et nigris exeſa chelydris
Creta, negant alios æque ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres;
Et bibit humorem, et, quum vult, ex ſe ipſa remittit;

Quæ-

Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsa lædit rubigine ferrum;
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleo est: illam experiere colendo
Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora jugo, et vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho:
Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo:
Ante locum capies oculis, alteque jubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis:
Spissus ager; glebas cunctantes crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat)
Tale dabit specimen: Tu spisso vimine qualos,
Colaque prælorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ;
At sapor indicium faciet manifestus, et ora

Tristia

Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus: haud umquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.
Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Lætior. Ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis!
Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit,
Quæque levis. Promtum eſt oculis prædiſcere nigram,
Et quis cui color. At ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt: piceæ tantum, taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.
His animadverſis, terram multo ante memento
Excoquere, et magnos ſcrobibus concidere montes,
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. Optima putri
Arva ſolo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robuſtus jugera foſſor.
At, ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, et quo mox digeſta feratur;
Mutatam ignorent ſubito ne ſemina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant:
Ut, quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,

Reſti-

Restituant. Adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
Quære prius; Si pinguis agros metabere campi:
Densa ferat; in denso non segnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive solum, collesque supinos:
Indulge ordinibus; nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut sæpe ingenti bello quum longa cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, nec dum horrida miscent
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat prospectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco.
Altior ac penitus terræ defigitur arbos,
Aesculus in primis: quæ, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque nepotes,
Multa virûm volvens durando sæcula vincit.
Tum fortes late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem:

Neve

Neve inter vites corulum sere: neve flagella
Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas:
Tantus amor terræ; neu ferro læde retuso
Semina: neve oleæ silvestres insere truncos.
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem cœlo sonitum dedit: inde sequutus
Per ramos victor, perque alta cacumina, regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad cœlum picea crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi; non a stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque ima similes revirescere terra:
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems: nec semine jacto
Concretam patitur radicem adfigere terræ.
Optima vinetis satio, quum vere rubenti
Candida venit avis, longis invisa colubris:
Prima vel auctumni sub frigora, quum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æstas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis:
Vere tument terræ et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Aether
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes

Magnus

Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor:
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere: nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.
Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Quum primæ lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissæque feræ silvis, et sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet cœli indulgentia terras.
Quod supereſt, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata; jamque reperti,
Qui saxo super, atque ingentis pondere testæ,
Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres:
Hoc, ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.

Semi-

Seminibus positis, superest deducere terram
Sæpius ad capita, et duros jactare bidentes:
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere lactantes inter vineta juvencos.
Tum læves calamos, et rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris; et, dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.
Texendæ sepes etiam, et pecus omne tenendum est,
Præcipue dum frons tenera imprudensque laborum:
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri adsidue capreæque sequaces
Illudunt, pascuntur oves avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur: et veteres ineunt proscenia ludi,

Præ-

Præmiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidæ posuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres,
Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti satis est: namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus; redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac jam olim seras posuit quum vinea frondes,
Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem;
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto:

Postre-

Postremus metito: bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ.
Durus uterque labor; laudato ingentia rura:
Exiguum colito; nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet cura salicti.
Jam vinctæ vites: jam falcem arbusta reponunt:
Jam canit extremos effœtus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.
Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.
Contra, non ulla est oleis cultura: neque illæ
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces.
Quum semel hæserunt arvis aurasque tulerunt:
Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem et gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem et placitam paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytisi, tædas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere atque impendere curam?
Quid majora sequar? salices humilesque genestæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbras

Suffi-

Sufficiunt: sepemque satis, et pabula melli.
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos: juvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curæ.
Ipsa Caucasso steriles in vertice silvæ,
Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus: dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus: Ityræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ læves aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado: nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Bacchea dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentes
Centauros leto domuit, Rhœtumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam;

Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasque auro veſtes, Ephyreïaque æra;
Alba neque Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, et neſcia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni
Non abſunt: illic ſaltus ac luſtra ferarum;
Et patiens operum exiguoque adſueta juventus;
Sacra deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti percuſſus amore,
Accipiant; cœlique vias et ſidera monſtrent:
Defectus ſolis varios, lunæque labores:
Unde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſusque in ſe ipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis;
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem ſilvasque inglorius, O, ubi campi,
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: o, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas:
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Sub

Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,
Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum:
Hic petit excidiis urbem miserosque Penates;
Ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro.
Condit opes alius, defossoque incubat auro.
Hic stupet attonitus Rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque
Corripuit. Gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant;
Atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet: hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,

Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti redeunt: dant arbuta silvæ:
Et varios ponit fœtus autumnus: et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis,
Interea dulces pendent circum oscula nati:
Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hædi.
Ipse dies agitat festos: fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenæe, vocat: pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo:
Corporaque agresti nudant prædura palæstra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus et frater: sic fortis Etruria crevit:
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Vovet Augusto Templum honoris et Monimentum Aeternitatis. Equorum cura, et Boum. Taurorum pugnæ. Equarum amor. Tractatio ovium et caprarum. Præcepta de lanitio, de lacte. De canibus alendis, fugandis serpentibus. Pecorum morbis. Hinc occasio sumta describendæ pestis, quæ grassata est per Alpinas et Venetas regiones.

Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos, silvæ amnesque Lycæi.
Cetera, quæ vacuas tenuissent carmine mentes,
Omnia jam vulgata: Quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras? 5
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, 10
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:

Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse, caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram; jam nunc sollemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel scena ut versis discedat frontibus; utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini:
Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum, ac navali surgentes ære columnas.
Addam urbis Asiæ domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa,
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens, et Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum.

In-

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat. En age, segnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum:
Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos; seu quis fortes ad aratra juvencos,
Corpora præcipue matrum legat. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, et camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut juga detrectans; interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior, quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Aetas Lucinam justosque pati hymenæos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos:
Cetera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum læta juventas,
Solve mares: mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus:
Et labor et duræ rapit inclementia mortis.

Semper erunt, quarum mutari corpora malis:
Semper enim refice; ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, et ſobolem armento ſortire quotannis.
Nec non et pecori eſt idem delectus equino.
Tu modo, quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit:
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga:
Luxuriatque toris animoſum pectus. Honeſti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo. Tum, ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit: micat auribus, et tremit artus:
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem,
Denſa juba, et dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina; cavatque
Tellurem, et ſolido graviter ſonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graji meminere poëtæ,
Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.
Talis et ipſe jubam cervice effundit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignoſce ſenectæ.
Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem

In-

Ingratum trahit: et, si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos ævumque notabis
Præcipue: hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, quum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Quum spes arrectæ juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis:
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque adsurgere in auras:
Nec mora, nec requies; at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
Primus Erichthonius currus et quattuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere,
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.
Aequus uterque labor: æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis et cursibus acrem.
Quamvis sæpe fuga versos ille egerit hostes,
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas;
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animadversis instant sub tempus, et omnes
Impendunt curas denso distendere pingui,
Quem legere ducem, et pecori dixere maritum:

Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque; ne blando nequeat superesse labori;
Invalidique patrum referant jejunia gnati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes,
Atque, ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant, et fontibus arcent:
Sæpe etiam cursu quatiunt, et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes:
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidæ quum mensibus errant:
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et acri
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum
Flumina: muscus ubi, et viridissima gramine ripa,
Speluncæque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstron Graji vertere vocantes;
Asper, acerba sonans: quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther
Concussus, silvæque, et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.

Hunc

Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pascens
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint submittere habendo.
Aut aris servare sacros, aut scindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis:
Cetera pascuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos:
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, et summo vestigia pulvere signent.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata: nec tibi fœtæ,
More patrum, nivea implebunt mulctraria vaccæ,
Sed tota in dulcis consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium, turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,

Et Jovis in luco currus agitare volantes;
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes;
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus et plausæ sonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, et jamque tremens, et jam insçius ævi.
At, tribus exactis ubi quarta accesserit æstas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum;
Sitque laboranti similis: tum cursibus auras,
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Aequora, vix summa vestigia ponat arena:
Qualis, Hyberboreis Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemes atque arida differt
Nubila: tum segetes altæ campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant silvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito: namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, et duris parere lupatis.

Sed

Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam Venerem et cæci ſtimulos avertere amoris,
Sive boum ſive eſt cui gratior uſus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, et trans flumina lata:
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſervant.
Carpit enim vires paullatim uritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminiſſe nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris et ſæpe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.
Paſcitur in magna ſilva formoſa juvenca:
Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,
Verſaque in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu: reboant ſilvæque et longus Olympus.
Nec mos bellantes una ſtabulare: ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exſulat oris;
Multa gemens ignominiam plagasque ſuperbi
Victoris; tum, quos amiſit inultus, amores
Et ſtabula adſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, et inter
Dura jacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis et carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco: ventosque laceſſit
Ictibus, et ſparſa ad pugnam proludit arena.

Post, ubi collectum robur viresque refectæ,
Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus ut, in medio cœpit quum albescere ponto,
Longius, ex altoque, sinum trahit; utque, volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit: at ima exæstuat unda
Verticibus, nigramque alte subjectat arenam.
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas. Tum sævus aper, tum pessima tigris.
Heu, male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam frena virûm, neque verbera sæva,
Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptosque unda torquentia montes.
Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca serus freta: quem super ingens
Porta tonat cœli, et scopulis illisa reclamant

Aequo-

Aequora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum,
Atque canum? quid, quæ imbelles dant prælia cervi?
Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium: superant montes, et flumina tranant.
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis:
Vere magis, quia vere calor redit ossibus: illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: et sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per et scopulos et depressas convalles
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus;
In Boream Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, et pluvio contristat frigore cœlum,
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc satis armentis. Superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.

Hic

Hic labor: hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor. Juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas:
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat turpesque podagras.
Post hinc digressus jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, et fluvios præbere recentes;
Et stabula a ventis hiberno opponere Soli
Ad medium conversa diem; quum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ;
Nec minor usus erit: quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Densior hinc soboles: hinc largi copia lactis.
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra;
Læta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
Usum in castrorum, et miseris velamina nautis.

Pascun-

Pascuntur vero silvas, et summa Lycæi,
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos.
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Avertes: victumque feres, et virgea lætus
Pabula; nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero, Zephyris quum læta vocantibus æstas,
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittes.
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ;
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam:
Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos: aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum: quum frigidus aëra vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida luna,
Litoraque halcyonem resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?

Sæpe diem noctemque, et totum ex ordine mensem,
Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventes Ister arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem;
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullæ
Aut herbæ campo apparent aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque adsurgit in ulnas.
Semper hiems, semper spirantes frigora cauri.
Tum sol pallentes haud umquam discutit umbras:
Nec quum invectus equis altum petit æthera: nec quum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.
Aeraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt
Indutæ, cæduntque securibus humida vina,
Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius aëre ningit:

In-

Intereunt pecudes, ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, et ſummis vix cornibus exſtant.
Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pinnæ:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, et magno læti clamore reportant.
Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra, congeſtaque robora, totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.
Talis Hyperboreo Septem ſubjecta trioni
Gens effrena virûm Rhiphæo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora ſetis.
Si tibi lanitium curæ; primum aſpera ſilva
Lappæque tribulique abſint: fuge pabula læta:
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum: plenoque alium circumſpice campo.
Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt,
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu adſpernata vocantem.
At, cui lactis amor, cytiſum lotosque frequentes

Ipſe

Ipse manu salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt: quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor:
Aut parco sale contingunt, hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed una
Veloces Spartæ catulos acremque Molossum
Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem incursusque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens, montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit:
Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbræ,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice. Jamque fuga timidum caput abdidit alte,

Quum

Quum medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus austris,
Stagna colit; ripisque habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet.
Postquam exusta palus, terræque ardore debiscunt,
Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu.
Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas:
Quum positis novus exuviis nitidusque juventa
Volvitur, aut, catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad solem et linguis micat ora trisulcis.
Morborum quoque te causas et signa docebo.
Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit et horrida cano
Bruma gelu: vel quum tonsis illotus adhæsit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus ideirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni:
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, ac sulphura viva,
Idæasque pices, et pingues unguine ceras,

Scyl-

Scyllamque, helleborosque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omnia poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et seræ solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro compesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt; sed tota æstiva repente,
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpes et Norica si quis
Castella in tumulis, et Japydis arva Timavi,

Nunc

Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum, et longe saltus lateque vacantes.
Hîc quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Corrupitque lacus: infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus:
Rursus abundabat fluidus liquor: omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris;
Nec responsa potest consultus reddere vates:
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit ægras
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix, studiorum atque immemor herbæ
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit: demissæ aures: incertus ibidem
Sudor; et ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu cœpit crudescere morbus:

Tum

Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia singultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos: ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos, jam morte sub ægra,
(Di meliora piis, erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non, qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes:
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ:
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina; nec somnos abrumpit cura salubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis, et uris

Im-

Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre raſtris terram rimantur, et ipſis
Unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immenſi prolem, et genus omne natantum,
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit et curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, et attoniti ſquamis adſtantibus hydri.
Ipſis eſt aër avibus non æquus, et illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Præterea jam nec mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes: ceſſere magiſtri
Phyllirides Chiron, Amythaoniusque Melampus.
Sævit et in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone, Morbos agit ante Metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque ſonant ripæ, collesque ſupini.
Jamque catervatim dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus: nec viſcera quisquam
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma:

Nec tondere quidem morbo illuvieque pereſa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentarat amictus;
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur. Nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus ſacer ignis edebat.

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Mellarii ſedes ut deſignanda. Alveorum materies et fabrica. Apum ſeditiones et pugnæ. Breviter de cultura horti, laudata Tarentini cujusdam ſenis induſtria. Apum respublica, fœtus, victus: patria, leges, fœdera pacis ac belli, laboris et quietis. Providentia. Præſagia tempeſtatum. Genus, ætas, cultus in Reges; ingenium, ſollertia, et quaſi rationis ſcintillæ. Mellatio, cujus duo tempora, Ver, et Autumnus. Apum morbi et remedia. Extinctarum reſtauratio ex putrefacto juvenco, quæ refertur inventa Ariſtæo, cujus hiſtoriæ adjicitur Orphei fabula. Epilogus operis.

Pro-

Protinus aërii mellis cœlestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Mæcenas, adspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prælia dicam.
In tenui labor: at tenuis non gloria; si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent), neque oves hædique petuli
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres;
Et manibus Procne pectus signata cruentis.
Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis, fugiens per gramina, rivus;
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret:
Ut, quum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori;
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices, et grandia conjice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas

Pandere ad æstivum solem; si forte morantes
Sparserit, aut præceps Neptuno immerserit Eurus.
Hæc circum casiæ virides, et olentia late
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. Nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ
Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera glu-
ten
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertæ
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.
Tu tamen e lævi rimosa cubilia limo
Ungue fovens circum, et raras superinjice frondes.
Neu propius tectis taxum sine, neve rubentes
Ure foco cancros; altæ neu crede paludi,
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.
Quod supereſt, ubi pulsam hiemem sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æstiva luce reclusit,
Illæ continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosque fovent: hinc arte recentes
Ex-

Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulces et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melissphylla, et cerinthæ ignobile gramen;
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.
Ipsæ considunt medicatis sedibus: ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint; nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu,
Continuoque animos vulgi et trepidantia bello
Corda licet longe præscisere: namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactæ sudum camposque patentes,
Erumpunt portis; concurritur; æthere in alto
Fit sonitus, magnum mixtæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt. Non densior aëre grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non credere, dum gravis aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit.

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo;
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora plebis.
Namque aliæ turpes horrent: ceu pulvere ab alto
Quum venit, et ficco terram spuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, et fulgore coruscant
Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles; hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
At quum incerta volant, cœloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt;
Instabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. Tu regibus alas
Eripe. Non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat: ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget imbres.

Atque

Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
Vela trahain, et terris festinem advertere proram;
Forsitan et pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti:
Quoque modo potis gauderent intuba rivis;
Et virides apio ripæ, tortusque per herbam
Crescceret in ventrem cucumis: nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque hederas, et amantes litora myrtos.
Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galæsus,
Corycium vidisse senem: cui pauca relicti
Jugera ruris erant: nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver,
Regum æquabat opes animis; seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam atque auctumno carpere poma,
Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Aestatem increpitans seram zephyrosque morantes.
Ergo apibus fœtis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos

Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipse equidem spatiis discluſus iniquis
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Juppiter ipse
Addidit, expediam; pro qua mercede, canoros
Curetum sonitus crepitantiaque æra sequutæ,
Dictæo cœli Regem pavere sub antro.
Solæ communes gnatos, consortia tecta
Urbis, habent, magnisque agitant sub legibus ævum:
Et patriam solæ et certos novere penates:
Venturæque hiemis memores æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lacrimam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ, spem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant: et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum, fucos, pecus a præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Ac

Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt
Aera lacu: gemit impositis incudibus Aetna.
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, si parva licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, et dædala fingere tecta.
At fessæ multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ: pascuntur et arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus,
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo adventantibus Eurис:
Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur,
Excursusque breves tentant, et sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,

Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsæ e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt: ipsæ regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt;
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere.
Tantus amor florum, et generandi gloria mellis
Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi
Excipiat: neque enim plus septima ducitur æstas;
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat Fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic Aegyptus, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem; constructaque mella
Diripuere ipsæ, et crates solvere favorum.
Ille operum custos: illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;
Et sæpe attollunt humeris, et corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam signis atque hæc exempla sequuti,
Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

Quem-

Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.
Si quando sedem angustam, servataque mella
Thesauris, relines: prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu prætende sequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora messis,
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias, et Oceani spretos pede reppulit amnes:
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas cœlo descendit in undas.
Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt
Adfixæ venis, animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hiemem, parcesque futuro.
Contusosque animos et res miserabere fractas;
At suffire thymo, cerasque recidere inanes,
Quis dubitet? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congesta cubilia blattis:
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis;
Aut dirum, tineæ, genus, aut invisa Minervæ
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.
Si vero (quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo;
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis:

Continuo eſt ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et triſtia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes,
Ignavæque fame et contracto frigore pigræ.
Tum ſonus auditur gravior, tractimque ſuſurrant:
Frigidus ut quondam ſilvis immurmurat Auſter:
Ut mare ſollicitum ſtridit refluentibus undis;
Aeſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam gaibaneos ſuadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et feſſas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunſum gallæ admiſcere ſaporem,
Arentesque roſas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel pſythia paſſos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et graveolentia centaurea.
Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba:
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſilvam,
Aureus ipſe: ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
Aſper in ore ſapor. Tonſis in vallibus illum
Paſtores et curva legunt prope flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.
Sed, ſi quem proles ſubito defecerit omnis,

Nec

Nec, genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit;
Tempus, et Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quo que modo cæſis jam ſæpe juvencis
Inſincerus apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura faſelis;
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget,
Et viridem Aegyptum nigra fœcundat arena,
Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora
Uſque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte ſalutem.
Exiguus primum, atque ipſos contractus ad uſus,
Eligitur locus. Hunc anguſtique imbrice tecti
Parietibusque premunt arctis, et quattuor addunt,
Quattuor a ventis, obliqua luce feneſtras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares et ſpiritus oris
Multa reluctanti obſuitur, plagisque peremto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt, et ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiasque recentes.
Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Aeſtuat, et viſenda modis animalia miris,

Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis,
Miscentur, tenuemque magis, magis aëra carpunt:
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere; aut ut, nervo pulsante, sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prælia Parthi.
Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes, quid me præclara stirpe Deorum
(Si modo, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo,
Quin age, et ipsa manu felices erue silvas;
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes:
Ure sata, et validam in vites molire bipennem;
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti

Sen-

Senſit. Eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore:
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllidoceque,
Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla:
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores:
Clioque et Beroe ſoror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, atque Aſia Deïopeia;
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta;
Atque Chao denſos Divûm numerabat amores.
Carmine quo captæ dum fuſis mollia penſa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Ariſtæi, vitreisque ſedilibus omnes
Obſtupuere: ſed ante alias Arethuſa ſorores
Proſpiciens, ſumma flavum caput extulit unda;
Et procul: O gemitu non fruſtra exterrita tanto,
Cyrene ſoror, ipſe tibi, tua maxima cura,
Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percuſſa nova mentem formidine mater,
Duc, age, duc ad nos; fas illi limina Divûm
Tangere, ait: ſimul alta jubet diſcedere late
Flumina, qua juvenis greſſus inferret. At illum
Curvata in montis faciem circumſtetit unda,

Acce-

Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genitricis, et humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,
Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, et gnati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
Pocula. Panchæis adolescunt ignibus aræ.
Et mater, Cape Mæonii carchesia Bacchi:
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,
Centum quæ silvas, centum quæ flumina, servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa:
Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus patriamque revisit

Palle-

Pallenen. Hunc et Nymphæ veneramur, et ipse
Grandævus Nereus. Novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est: immania cujus
Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas. 395
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi caussam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram et vincula capto
Tende. Doli circum hæc demum frangentur inanes. 400
Ipsa ego te, medios quum sol accenderit æstus,
Quum sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit; facile ut somno aggrediare jacentem.
Verum, ubi correptum manibus vinclisque tenebis; 405
Tum variæ eludent species atque ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit. 410
Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, gnate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret quum lumina somno.

Hæc

Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffundit odorem:
Quo totum nati corpus perduxit: at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos;
Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat: ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat; cœlo et medium sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii repefacta coquebant:
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat. Eum vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno diversæ in litore phocæ.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius, numerumque recenset:
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille suæ contra non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,

Ignem-

Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum, ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos? quidve hinc petis? inquit.
At ille:
Scis, Proteu, scis ipse: neque est te fallere cuiquam.
Sed tu desine velle. Deûm præcepta secuti
Venimus hinc lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens, sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ.
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas, ni fata resistant,
Suscitat; et rapta graviter pro conjuge sævit,
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes. Flerunt Rhodopeiæ arces,
Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse cava solans ægrum testudine amorem,
Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Tæna-

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manesque adiit, Regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. 470
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber:
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita 475
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum:
Quos circum limus niger, et deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coërcet. 480
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima Leti
Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens casus evaserat omnes, 485
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem:
Quum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes;
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa 490
Immemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?
Quis

Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa: neque illum,
Prensantem nequicquam umbras, et multa volentem
Dicere, præterea vidit: nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus; quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et mœstis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Rhiphæis numquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona querens. Spretæ Ciconum quo munere matres,
Inter sacra Deum nocturnique orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

Tum

Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum,
Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: et se jactu dedit æquor in altum.
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: namque ultro affata timentem!
Nate, licet tristes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi caussa: hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, et faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, et intacta totidem cervice juvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra Dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem:
Corporaque ipsa boum frondoso defere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethæa papavera mittes,
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.
Haud mora: continuo matris præcepta faceſſit:
Ad delubra venit; monstratas excitat aras;
Quattuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit,

Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis;
Immensasque trahi nubes: jamque arbore summa
Confluere, et lentis uvam demittere ramis.
Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otî:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Troja capta, Aeneas, Anchisæ et Veneris filius, vir singulari pietate, pariique fortitudine præditus, dum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum e Sicilia in Italiam navigat, immissa ab Aeolo, rege ventorum (rogatu Junonis) gravissima tempestate, ad Libycum litus, appellitur: egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cervos sagittis prosternit, singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) æqualiter distribuit, sociosque deinde longis jam erroribus fatigatos, spe futuræ quietis ad tolerandum, quod reliquum erat laboris, hortatur. Interea Venus Aeneæ sui Trojanorumque causam apud Jovem agit, omniumque calamitatum illarum causam Junoni imputat. Jupiter contra, reserata fatorum serie, spe felicis posteritatis, potentiæque Romanorum, filiæ dolorem consolatur. Cujus oratione confirmata Venus, Aeneæ suo, locorum ignaro, et explorandæ regionis causa huc illuc oberranti, sese obviam præbet: navesque dispersas salvas esse nunciat: ostenditque non procul illinc abesse Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido.

Aeneas

Aeneas itaque matris beneficio cava nube cinctus, una cum Achate Carthaginem ingreditur: ubi et socios salvos reperit, et a Didone benigne excipitur. Venus tamen, quod neque Junonio hospitio, neque muliebri inconstantiæ satis fideret, sopito in Italiæ lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus et oscula latenter reginæ amorem inspirat Aeneæ.

Ille ego, qui quondam, gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit
Litora; multum ille et terris jactatus et alto
Vi superûm, sævæ memorem Junonis ob iram:
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi causas memora, quo numine læso,
Quidve dolens, regina deûm tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit: tantæne animis cœlestibus iræ!
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,

Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces;
Hinc populum, late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Necdum etiam caussæ irarum sævique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaûm atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio: multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant, læti, et spumas salis ære ruebant;
Quum Juno, æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux, una cum gente tot annos

Bella

Bella gero. Et quisquam numen Junonis adōret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque et montes insuper altos
Imposuit, regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole, (namque tibi divûm pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversos: et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopēam
Connūbio jungam stabili propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.

Aeolus hæc contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor: mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere divûm,
Nimborumque facis tempeſtatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vaſtos volvunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque virûm ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incŭbat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther;
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneæ ſolvuntur frigore membra,
Ingĕmit, et, duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Quīs ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere! o Danāûm fortiſſime gentis
Tydīde! mene Iliăcis occumbere campis
Non potuiſſe, tuāque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Aeacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpēdon: ubi tot Simŏis correpta ſub undis
Scuta virûm galeasque et fortia corpora volvit.
Talia jactanti ſtridens Aquilone procella
Velum

Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus. Inſequitur cumulo præruptus aquæ
mons.
Hi ſummo in fluctu pendent: his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras;
Dorſum immane mari ſummo. Tres Eurus ab alto
In brevia et Syrtes urget, miſerabile viſu,
Illidiſque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipſius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit. Excutitur, pronusque magiſter
Volvitur in caput. Aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore
vortex.
Appārent rari nantes in gurgite vaſto;
Arma virûm, tabulæque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, et qua grandævus Aletes,
Vicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimīcum imbrem, rimisque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus, et imis
Stagna refuſa vadis, graviter commotus; et alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Diſjectam Aeneæ toto videt æquore claſſem:
Fluctibus oppreſſos Troas cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ.

Eurum ad se Zephyrumque vocat. Dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum terramque meo sine numine, venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat:
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoë, simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti:
Et vastas aperit Syrtes, et temperat æquor:
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac, veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere silent; arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Aeneadæ, quæ proxima, litora cursu
Contendunt petere, et Libyæ vertuntur ad oras.

Est

Est in secessu longo locus. Insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice late
Aequora tuta silent: tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo:
Nympharum domus. Hic fessas non vincula navos
Ulla tenent: unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma,
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam: tres litore cervos
Prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur

A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, sternit; tum vulgus; et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mœrentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos: vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, mœstumque timorem
Mittite. Forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert: curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant:
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt:
Litore ahena locant alii, flammasque ministrant.

Tum

Tum victu revŏcant vires: fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.
Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ:
Amissos longo socios sermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii, seu vivĕre credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: quum Juppiter æthere summo
Despiciens mare velivolum terrasque jacentes,
Litoraque, et latos populos, sic vertice cœli
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deúmque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quæ te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos

Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troia; nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra repônis?
Olli subridens hominum sator atque deorum
Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea. Manent immota tuorum
Fata tibi: Cernes urbem et promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli
Magnanimum Aenean: neque me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris et mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Addi-

Additur, (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis menſibus orbes
Imperio explebit, regnumque a ſede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea; donec regina ſacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mœnia, Romanosque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. Quin aſpera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet luſtris labentibus ætas,
Quum domus Aſſaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris;
Julius, a magno demiſſum nomen Iulo.
Hunc tu olim cœlo, ſpoliis Orientis onuſtum,
Accipies ſecura. Vocabitur hic quoque votis.
Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis.
Cana Fides, et Veſta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt: diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur Belli portæ. Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, et centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Hæc ait: et Maja genitum demittit ab alto;
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum: ac Libyæ citus adstitit oris.
Et jam jussa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo. In primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos; quas vento accesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne, feræne,
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit. Ipse uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidi

Virginis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O quam te memorem? virgo; namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, Dea certe;
An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quæcumque, laborem:
Et, quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem.
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est injuria, longæ
Ambages. Sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sychæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit Furor. Ille Sychæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum

Germanæ: factumque diu celavit, et ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis attollens pallida miris,
Crudeles aras trajectaque pectora ferro
Nudavit; cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago. Dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum;
Ante diem clauso componet vesper Olympo.
Nos Troja antiqua, si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit, diversa per æquora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.

Ita-

Italiam quæro patriam, genus ab Jove ſummo.
Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor,
Matre Dea monſtrante viam, data fata ſecutus;
Vix ſeptem convulſæ undis Euroque ſuperſunt.
Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus. Nec plura querentem
Paſſa Venus medio ſic interfata dolore eſt:
Quisquis es, haud, credo, inviſus cœleſtibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reducēs ſocios claſſemque relatam
Nuntio, et in tutum verſis Aquilonibus actam:
Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.
Adſpice bis ſenos lætantes agmine cygnos,
Aetheriā quos lapſa plagā Jovis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas jam deſpectare videntur.
Ut reducēs illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere:
Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige greſſum.
Dixit, et avertens roſea cervīce refulſit,
Ambroſiæque comæ divinum vertīce odōrem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos:
Et vera inceſſu patuit dea. Ille, ubi mātrem
Agnovit, tali fugientem eſt voce ſecutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falſis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?

Tali-

Talibus incũsat, gressumque ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientes aëre sepsit;
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.
Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatri
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decŏra alta futuris.
Qualis apes æstate nova per florea rura
Exercet sub sole labor; quum gentis adultos
Edũcunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!

Aeneas

Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbræ,
Quo primum, jactati undis et turbine, Pœni
Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divæ:
Aerea cui gradibus surgebant limina nexæque
Aere trabes: foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus, et afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens, dum quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et sævum ambobus Achillem.
Constitit; et lacrimans; Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua præmia laudi:
Sunt lacrimæ rerum: et mentem mortalia tangunt.
Solve metus. Feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

Nam-

Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus:
Hac Phrygĕs; inſtaret curru criſtatus Achilles.
Nec procul hinc Rheſi nivĕis tentoria velis
Agnoſcit lacrimans; primo quæ prodita ſomno
Tydīdes multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardentesque avertit equos in caſtra, prius quam
Pabula guſtaſſent Trojæ Xanthumque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis Troĭlus armis,
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret reſupīnus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et verſa pulvis inſcribĭtur haſta.
Interea ad templum non æquæ Pallădis ibant
Crinibus Iliădes paſſis, peplumque ferebant
Suppliciter triſtes, et tunſæ pectora palmis:
Dīva ſolo fixos oculos averſa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectŏra muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo:
Ut ſpolia, ut currus, utque ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conſpexit inermes,
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonĭdum lunatis agmina peltis
Pentheſilēa furens, mediisque in millibus ardet
Aurea ſubnectens exſertæ cingula mammæ,
Bellatrix, audetque viris concŭrrere virgo.

Hæc dum Dardanio Aeneæ miranda videntur,

Dum

Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum, formā pulcherrimă, Dido
Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreădes; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas ſupereminet omnes:
Latōnæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios, inſtans operi regnisque futuris.
Tum foribus divæ, media teſtudine templi,
Septa armis, ſolioque alte ſubnixa, reſedit.
Jura dabat legesque viris: operumque laborem
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat:
Quum ſubito Aeneas concurſu accedere magno
Anthea Sergeſtumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquŏre turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul percuſſus Achates
Lætitiaque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant; et nube cava ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris; claſſem quo litore linquant;
Quid veniant. Cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, et coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit:
O Regina, novam cui condere Juppiter urbem,

Juſti-

Justitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignes;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit. Huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma;
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certasse priorem
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arma-

Armaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes, et stringere remos.
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere: ut Italiam læti Latiumque petamus.
Sin absumta salus, et te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri: secludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Trojæ nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Acesten;
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est. Subducite naves.
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse, Noto compulsus eodem,
Afforet Aeneas! equidem per litora certos
Dimittam, et Libyæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus silvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, et fortis Achates,

Et

Et pater Aeneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aeneam compellat Achates:
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides: classem, sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.
Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, et lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, relliquias Danaum, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias. Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido, nec quidquid ubique
est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, et mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet;

Sem-

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Sereſtum:
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo adſpectu Sidonia Dido;
Caſu deinde viri tanto. Et ſic ore locuta eſt:
Quis te, nate dea, per tanta pericula caſus
Inſequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulſum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli. Genitor dum Belus opīmam
Vaſtabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo caſus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum a ſtirpe volebat.
Quare agite, o tectis, juvenes, ſuccedite noſtris.
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit conſiſtere terra.
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
Sic memorat. Simul Aenean in regia ducit
Tecta: ſimul divûm templis indicit honorem.
Nec minus interea ſociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pingues centum cum matribus agnos
Munera, lætitiamque dei.

At

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten,
Ascanio ferat hæc; ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues;
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,
Nate patris summi, qui tela Typhoëa temnis;
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi: et nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: et vereor, quo se Junonia vertant
Hospitia. Haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:
Sed magno Aeneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojæ.
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Ut, quum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas laticemque Lyæum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis caræ genitricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli,
At Venus Ascanio placidam per membra quietem

Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adſpirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Quum venit, aulæis jam ſe regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.
Jam pater Aeneas, et jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, et flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.
Mirantur dona Aeneæ; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei vultus, ſimulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, peſti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phœniſſa, et puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Aeneæ colloque pependit,
Et magnum falſi implevit genitoris amorem;
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, et interdum gremio fovet, inſcia Dido,
Inſidat quantus miſeræ deus. At memor ille

Ma-

Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sychæum
Incipit, et vivo tentat prævertere amore
Jam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque popposcit,
Implevitque mero pateram: quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores!
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno!
Et vos, o, cœtum, Tyrii, celebrate faventes!
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. Ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Ingeminant plausu Tyrii, Troësque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Didonis voluntati morem gerens Aeneas, excidii Trojani seriem narrat; ea est hujusmodi: Græci decimo belli Trojani anno, attritis jam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt: nocteque ea, quæ urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Trojano equo ligneo tantæ magnitudinis, ut portis urbis recipi non posset, ejus vero lectis-

lectissimum quemque procerum includunt. Trojani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt. Nocte intempesta Græci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit: omnia ferro flammisque fœdantur. Aeneas interim ab Hectore in somnis admouetur, ut sibi fuga consulat, deosque patrios incendio eripiat. Ille tamen honestam mortem turpi fugæ præferens, frustra in arma ruit: satis feliciter primus impetus succedit Trojanis, donec Corœbi consilium sequuti, sumtis Græcorum armis, suorum telis obruuntur. Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipse a Pyrrho Achillis filio interficitur. Aeneas itaque, frustra tentatis omnibus, cum jam nihil spei reliquum esset, sacra Anchisæ patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumtisque Ascanio filio Creusaque uxore, fugam arripit. Græci a tergo insequuntur. In eo tumultu Creusam uxorem amittit: cujus quærendæ causa per totam urbem oberranti obfit uxoris umbra, virumque mortis suæ certiorem facit: ipse ad socios revertitur; quo jam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, ejus auspicium, quocunque terrarum abducere vellet, sequi paratus.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, jubes renovare dolorem;

Trojanas ut opes, et lamentabile regnum
Eruerint Danai: quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis? et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit;
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant. Ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio malefida carinis;
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portæ. Juvat ire, et Dorica castra,
Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles:
Classibus hic locus: hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,

Et

Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:
Et procul, o miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et, si fata deûm, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras;
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultro,

Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus: et super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quæ sit fiducia capto.
(Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.)
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum. Nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, et incluta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Inson-

Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis; et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem: et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quærere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari et quærere causas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti
Intercluſit hiems, et terruit Auster euntes.

Præcipue, quum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos, et virgine cæsa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina divûm,
Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compositio rumpit vocem, et me destinat aræ.
Adsensere omnes: et, quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi:
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent

Effu-

Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, si qua est, quæ restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum: miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos;
Noster eris; mihique hæc edissere vera roganti:
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi;
Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem; si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum, et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides, sed enim scelerumque inventor Ulixes,
Fatale aggressi sacrato avellere templo

Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractæ vires, aversa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum; arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso,
Effigiem statuere; nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam, si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod dî prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum.

Sin

Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem;
Ultro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exsuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt: et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,

Perfusus sanie vittas atroque veneno:
Clamores simul horrendos ad sidera tollit;
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevæque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deæ, clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor: et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt: sacrum qui cuspide robur
Læserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Fœta armis. Pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, o divûm domus Ilium, et incluta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non umquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Ver-

Vertitur interea cœlum, et ruit oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ,
Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat: fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulyxes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam:
Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divûm gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vul-

Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, et mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quæ caussa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros: ruit alto a culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites: his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.
Sic ait: et manibus vittas, Vestamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu:
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus; armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque arrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,

Præ-

Præcipitesque trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.
Tum vero manifeſta fides, Danaumque pateſcunt
Inſidiæ. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano ſuperante, domus: jam proximus ardet
Ucalegon: Sigæa igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec ſat rationis in armis:
Sed, glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum ſociis, ardent animi. Furor iraque mentem
Præcipitant; pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapſus Achivum,
Panthus Othryades, arcis Phœbique ſacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipſe trahit, curſuque amens ad litora tendit.
Quo res ſumma loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit ſumma dies, et ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troes: fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit. Incenſa Danai dominantur in urbe,
Arduus armatos mediis in mœnibus adſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet,
Inſultans. Portis alii bipatentibus adſunt,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis.
Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta,

Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt.
Talibus Othryadæ dictis et numine divûm
In flammas et in arma feror; quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Ripheus, et maximus armis
Epytus: oblati per lunam Hypanisque Dymasque:
Et lateri adglomerant nostro: juvenisque Coræbus
Mygdonides. Illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore:
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in prælia vidi;
Incipio super his: Juvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi: (quæ sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat: succurritis urbi
Incensæ:) moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula; quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem: mediæque tenemus

Urbi

Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et relligiosa deorum
Limina. Nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se, Danaum magna comitante caterva,
Androgeus obfert nobis, socia agmina credens
Inscius; atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri. Nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit: et extemplo, neque enim responsa dabantur
Fida satis, sensit, medios delapsus in hostes:
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, et cærula collo tumentem:
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim, et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Corœbus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Mon-

Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine nostro,
Multaque per cæcam congressi prælia noctem
Conserimus: multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,
Armorum facie et Grajarum errore jubarum.
Dum Danai gemitu atque ereptæ virginis ira
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.

Ad-

Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et lætus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſilvæ, ſævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, ſi quos obſcura nocte per umbram
Fudimus inſidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clipeos mentitaque tela
Agnoſcunt, atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Corœbus
Penelei dextra, divæ armipotentis ad aram,
Procumbit: cadit et Ripheus, juſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, et ſervantiſſimus æqui.
Dis aliter viſum. Pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a ſociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec ullas
Vitaviſſe vices Danaum; et, ſi fata fuiſſent,
Ut caderem, meruiſſe manu. Divellimur inde:
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi,
Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.
Hærent parietibus ſcalæ, poſtesque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela ſiniſtris
Protecti objiciunt: prenſant faſtigia dextris.

Dar-

Dardanidæ contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis:
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. Alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum solitæ naves, et Achaica castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque. Ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt: Nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aëna.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,

Nunc

Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon; una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Aeratos: jamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt:
Apparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatosque vident stantes in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur; penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant. Ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem

Cæde

Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas:
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et, Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis uti captæ casum, convulsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem;
Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Aedibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natæ nequidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, et divûm amplexæ simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miserime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non, si ipse meus nunc adsoret Hector,
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit

Ad

Ad sese, et sacra longævum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jamjamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At, tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dî, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, et præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, et nuntius ibis
Pelidæ genitori. Illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,

Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam, et prolapsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Jacet ingens litore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror:
Obstupui: subiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et, quæ sit me circum copia, lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
[Jamque adeo super unus eram: quum limina Vestæ
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaum et deserti conjugis iras
Præmetuens, Trojæ et patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?

Con-

Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque, etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentes
Laudabor pœnas: animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, et cineres satiasse meorum.
Talia jactabam, et furiata mente ferebar;]
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam; qualisque videri
Cœlicolis, et quanta, solet: dextraque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creusa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Grajæ
Circum errant acies: et, ni mea cura resistat,
Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris; divûm inclementia, divûm
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Adspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis

Jussa time, neu præceptis parere recusa:
Hic, ubi disjectas moles avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone sæva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit: ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat: et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.
Tum vero omne mihi visum considere in ignes
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja:
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Vulneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes
Expedior. Dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque, ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,

An

Antiquasque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat exciſa vitam producere Troja,
Exſiliumque pati. Vos o, quibus integer ævi
Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me ſi cœlicolæ voluiſſent ducere vitam,
Has mihi ſervaſſent ſedes. Satis una ſuperque
Vidimus excidia, et captæ ſuperavimus urbi.
Sic o, ſic poſitum affati diſcedite corpus.
Ipſe manu mortem inveniam. Miſerebitur hoſtis,
Exuviasque petet. Facilis jactura ſepulcri.
Jam pridem inviſus divis, et inutilis annos
Demoror: ex quo me divûm pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
Talia perſtabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effuſi lacrimis, conjuxque Creuſa,
Aſcaniusque, omnisque domus, ne vertere ſecum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere, vellet.
Abnegat, inceptoque et ſedibus hæret in îsdem.
Rurſus in arma feror, mortemque miſerrimus opto.
Nam quod conſilium aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te poſſe relicto
Speraſti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui;

Et ſedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat: patet iſti janua leto,
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes,
Eripis, ut mediis hoſtem in penetralibus, utque
Aſcanium, patremque meum, juxtaque Creuſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine, cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais: ſinite inſtaurata reviſam
Prælia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.

Hinc ferro accingor rurſus, clipeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limina conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus ſumtis ſpem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et conjux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum ſubitum dictuque oritur mirabile monſtrum.
Namque manus inter, mœſtorumque ora parentum,
Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora paſci.

Nos

Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit: et cœlo palmas cum voce tetendit:
Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum: et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater; atque hæc omnia firma.
Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit lævum, et de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Jamjam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem:
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille: et jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus

Sit comes, et longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis:
Succedoque oneri. Dextræ se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis:
Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent auræ: sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam: subito quum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentes clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum:
Heu!

Heu! miſero conjux fatone erepta Creuſa
Subſtitit, erravitne via, ſeu laſſa reſedit,
Incertum; nec poſt oculis eſt reddita noſtris:
Nec prius amiſſam reſpexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris ſedemque ſacratam
Venimus. Hic demum collectis omnibus una
Defuit; et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incuſavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in everſa vidi crudelius urbe?
Aſcanium, Anchiſemque patrem, Teucrosque Penates
Commendo ſociis, et curva valle recondo;
Ipſe urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat caſus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam; et rurſus caput objectare periclis.
Principio muros obſcuraque limina portæ,
Qua greſſum extuleram, repeto; et veſtigia retro
Obſervata ſequor per noctem, et lumine luſtro.
Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. Irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Volvitur: exſuperant flammæ: furit æſtus ad auras.
Procedo, et Priami ſedes arcemque reviſo.
Et jam porticibus vacuis Junonis aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix et dirus Ulixes
Prædam adſervabant. Huc undique Troïa gaza

Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mœstusque Creusam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine divûm
Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas: aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris æquor arandum.
Et terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter opima virum, leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ, regnumque, et regia conjux
Parta tibi: lacrimas dilectæ pelle Creusæ.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Grajis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Jamque vale, et nati servа communis amorem.

Hæc

Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque, virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati;
In quascumque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum; nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Eversa Troja, Aeneas collectis suorum reliquiis, quæ cædi flammisque superarant, paratoque apud Ar-

zandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur: ubi, cum futuræ urbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymnestore cæsi prodigiis, Delum petit. Consultoque ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suæ matrem, hoc est, primam originis suæ terram repetendam didicisset, falsa Anchisæ patris interpretatione adductus, Cretam contendit. Verum, cum ibi quoque, positis jam mœnibus, gravissima peste exagitaretur, in somnis monitus a diis penatibus, relicta Creta, Italiam petit. Ibi subito orta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyjis infestatur. Mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat. Inde Corcyram prætervectus, Epirum tenet: quæ id temporis Heleno Priami filio parebat, cui post Pyrrhi cædem Andromache in conjugium cesserat. Helenus Aeneam hospitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit. Aeneas, relicta Epiro, Tarentum primamque Italiæ oram prætervectus, ad eam Siciliæ partem, quæ Aetnæ monti adjacet, appellitur. Ibi Achæmenidem ab Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde ancoras solvit: memorque præceptorum Heleni, vitatis Charybdis et Scyllæ periculis, Siciliæ litora longo circuitu circumvectus, tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises, tum senio, tum longæ navigationis jactatione fatigatus, fatis concedit. Inde Italiam petiturus, immissa ab Aeolo subita tempestate in Africam ejicitur: quam partem libro primo exequitur.

Post-

Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja:
Diversa exsilia et desertas quærere terras
Auguriis agimur divûm, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ;
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat æstas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat;
Litora quum patriæ lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis dîs.
Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Trojæ, sociique penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superoque nitentem
Cœlicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi; viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras;
Horrendum, et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbor

Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et causas penitus tentare latentes:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Aggredior; genibusque adversæ obluctor arenæ;
(Eloquar, an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
Quid miserum, Aenea, laceras? jam parce sepulto:
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja
Externum tulit: aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threïcio regi; quum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrum, et Fortuna recessit,

Res

Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames? Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra deûm refero, et, quæ sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra;
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant Manibus aræ,
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras: animamque sepulcro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii naves, et litora complent.
Provehimur portu: terræque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri, et Neptuno Aegæo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,
Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.

Rex

Rex Anius, rex idem, hominum Phœbique ſacerdos,
Vittis et ſacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchiſen agnoſcit amicum.
Jungimus hoſpitio dextras, et tecta ſubimus.
Templa dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.
Da propriam, Thymbræe, domum: Da mœnia feſſis
Et genus, et manſuram urbem. Serva altera Trojæ
Pergama, relliquias Danaum atque immitis Achilli.
Quem ſequimur? quove ire jubes? ubi ponere ſedes?
Da, pater, augurium; atque animis illabere noſtris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia viſa repente,
Liminaque, laurusque dei: totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submiſſi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui naſcentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia: et cuncti, quæ ſint ea mœnia, quærunt;
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum.
Audite, o proceres, ait, et ſpes diſcite veſtras:

Creta

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;
Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameæ steterant: habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelæ, Corybantiaque aera,
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones.
Ergo agite, et, divûm ducunt qua jussa, sequamur:
Placemus ventos, et Gnossia regna petamus,
Nec longo distant cursu: modo Juppiter adsit,
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ:
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor.
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

Ergo

Ergo avidus muros optatæ molîor urbis,
Pergameamque voco, et lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere sicco subductæ litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata juventus;
Jura domosque dabam: subito quum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora; tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat: unde laborum
Tentare auxilium jubeat: quo vertere cursus.
Nox erat, et terris animalia somnus habebat.
Effigies sacræ divûm, Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja, mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras,
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor:
Idem venturos tollemus in astra nepotes,

Im-

Imperiumque urbi dabimus. Tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes. Non hæc tibi litora suasit
Delius, aut Cretæ jussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotri coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ sedes; hinc Dardanus ortus,
Jasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque requirat
Ausonias. Dictæa negat tibi Juppiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat; sed coram agnoscere vultus,
Velatasque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes;
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro:
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

Sed

Sed quis ad Heſperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Caſſandra moveret?
Cedamus Phœbo, et moniti meliora ſequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deſerimus ſedem, paucisque relictis
Vela damus, vaſtumque cava trabe currimus æquor.
Poſtquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique et undique pontus:
Tum mihi cæruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Aequora. Diſperſi jactamur gurgite vaſto.
Involvere diem nimbi, et nox humida cœlum
Abſtulit. Ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, et cæcis erramus in undis.
Ipſe diem noctemque negat diſcernere cœlo,
Nec meminiſſe viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago: totidem ſine ſidere noctes.
Quarto terra die primum ſe attollere tandem
Viſa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis inſurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent ſpumas, et cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Acci-

Accipiunt. Strophades Grajo ſtant nomine dictæ,
Inſulæ in Ionio magno: quas dira Celæno,
Harpyjæque colunt aliæ, Phinëia poſtquam
Clauſa domus, menſasque metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis et ira deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, et pallida ſemper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Irruimus ferro, et divos, ipſumque vocamus
In partem prædamque Jovem. Tum litore curvo
Exſtruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyjæ, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rurſum in ſeceſſu longo ſub rupe cavata,
Arboribus clauſi circum atque horrentibus umbris,
Inſtruimus menſas, arisque reponimus ignem.
Rurſum ex diverſo cœli cæcisque latebris
Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis:
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capeſſant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enſes, et ſcuta latentia condunt.

Ergo

Ergo ubi delapſæ ſonitum per curva dedere
Litora; dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta
Aere cavo. Invadunt ſocii, et nova prælia tentant,
Obſcenas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fuga ſub ſidera lapſæ
Semeſam prædam et veſtigia fœda relinquunt.
Una in præceſſa conſedit rupe Celæno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum ſtratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyjas inſontes pellere regno?
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam curſu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames noſtræque injuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.
Dixit: et in ſilvam pennis ablata refugit.
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Deriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent expoſcere pacem,
Sive deæ, ſeu ſint diræ obſcenæque volucres.
Et pater Anchiſes, paſſis de litore palmis,

Numi-

Numina magna vocat, meritosque indicit honores.
Dî, prohibete minas: dî, talem avertite casum:
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Deripere, excussosque jubet laxare rudentes,
Tendunt vela Noti: ferimur spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna,
Et terram altricem sævi exsecramur Ulyxi.
Mox et Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvæ succedimus urbi.
Ancora de prora jacitur. Stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii. Juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.
Linquere tum portus jubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verunt.
Protenus aërias Phæacum abscondimus arces,
Lito-

Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes,
Conjugio Aeacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum:
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore,
Compellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens.
Sollemnes quum forte dapes, et tristia dona,
Ante urbem in luco, falsi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio: calor ossa reliquit:
Labitur: et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco.
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis Fortuna revisit?

Hecto-

Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum, et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameïa virgo.
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ, tulimus: Qui deinde, secutus
Ledæam Hermionen Lacedæmoniosque Hymenæos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
At illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis, et scelerum furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius; superatne, et vescitur aura?
Quem tibi jam Troja ****
Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis;
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus: quum sese a mœnibus heros

Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, lætusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus: paterasque tenebant.
Jamque dies, alterque dies processit: et auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena, interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ,
Fare age (namque omnem cursum mihi prosperi
dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas:
Sola novum dictuque nefas Harpyja Celæno
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras,
Obscenamque famem), quæ prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit:
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea, (nam te majoribus ire per altum

Auspi

Auſpiciis manifeſta fides: ſic fata deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi e multis, quo tutior hoſpita luſtres
Aequora, et Auſonio poſſis conſiderè portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcæ
Scire, Helenum farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et ſalis Auſonii luſtrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Aeæaque inſula Circæ,
Quam tuta poſſis urbem componere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Quum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit: requies ea certa laborum.
Nec tu menſarum morſus horreſce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Grajis.
Hic et Narycii poſuerunt mœnia Locri,
Et Sallentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in litore ſolves,

Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat; et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Læva tibi tellus, et longo læva petantur
Aequora circuitu: dextrum fuge litus, et undas.
Hæc loca vi quondam, et vasta convulsa ruina
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraque tellus
Una foret: venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam; et cæruleis canibus resonantia saxa.

Præ-

Præterea, ſi qua eſt Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum
Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Junonis magnæ primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis. Sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem,
Divinoſque lacus, et Averna ſonantia ſilvis;
Inſanam vatem adſpicies: quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quæcumque in foliis deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verſo tenuis quum cardine ventus
Impulit, et teneras turbavit janua frondes,
Numquam deinde cavo volitantia prendere ſaxo,
Nec revocare ſitus, aut jungere carmina curat.
Inconſulti abeunt, ſedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanti,
Quamvis increpitent ſocii, et vi curſus in altum
Veſa vocet, poſſisque ſinus implere ſecundos,
Quin adeas vatem, precibusque oracula poſcas.
Ipſa canat, vocemque volens atque ora reſolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,

Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces: Remigium supplet: socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore
Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra
Provehor, et fando surgentes demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes;
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori:
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum

Sint,

Sint, puer, et longum Andromachæ teſtentur amorem,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.
Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis:
Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum:
Arva neque Auſoniæ, ſemper cedentia retro,
Quærenda. Effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam veſtræ fecere manus, melioribus, opto,
Auſpiciis, et quæ fuerit minus obvia Grajis.
Si quando Tybrim, vicinaque Tybridis arva,
Intraro, gentique meæ data mœnia cernam:
Cognatas urbes olim, populosque propinquos,
Epiro, Heſperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem caſus) unam faciemus utramque
Trojam animis. Maneat noſtros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, curſusque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus. Feſſos ſopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, et omnes

Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno;
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit: implevitque mero; divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Dî, maris et terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Objectæ salsa spumant adspergine cautes:
Ipse latet. Gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque a litore templum.
Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen îdem olim curru succedere sueti

Qua-

Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre:
Spes est pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ovantes;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces:
Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas.
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manes imos desidimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea sessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens

Ipse; sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla;
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra
Perferimus: nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus; obscuro sed nubila cœlo:
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Grajus,
Ut quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus, et Troïa vidit
Arma procul; paulum adspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit. Per sidera testor,

Per

Per ſuperos, atque hoc cœli ſpirabile lumen;
Tollite me, Teucri: quascumque abducite terras.
Hoc ſat erit. Scio me Danais e claſſibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe Penates.
Pro quo, ſi ſceleris tanta eſt injuria noſtri,
Spargite me in fluctus, vaſtoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periiſſe juvabit.
Dixerat: et genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat. Qui ſit, fari, quo ſanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa moratus,
Dat juveni; atque animum præſenti pignore firmat.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achæmenides, Trojam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores ſocii vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere. Domus ſanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipſe arduus altaque pulſat
Sidera, (Dî, talem terris avertite peſtem!)
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Viſceribus miſerorum et ſanguine veſcitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora noſtro
Prenſa manu magna medio reſupinus in antro

Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina: vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem. Nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensus, saniem eructans ac fusta cruento
Per somnum commixta mero; nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phœbeæ lampadis instar:
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam Lunæ se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quæcumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.

Vos

Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.
Vix ea fatus erat: summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manum pinus regit, et vestigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves: ea sola voluptas,
Solamenque mali [de collo fistula pendet].
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu: graduturque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito; tacitique incidere funem;
Vertimus et proni certantibus æquora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo,
Clamorem immensum tollit: quo pontus, et omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora complent.
Cernimus adstantes nequicquam lumine torvo
Aetnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales quum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi

Conſtiterunt, ſilva alta Jovis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocumque rudentes
Excutere, et ventis intendere vela ſecundis.
Contra juſſa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta a ſede Pelori
Miſſus adeſt. Vivo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megarosque ſinus, Thapſumque jacentem.
Talia monſtrabat relegens errata retrorſum
Litora Achæmenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio prætenta ſinu jacet inſula contra
Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.
Juſſi numina magna loci veneramur: et inde
Exſupero prægingue ſolum ſtagnantis Helori.
Hinc altas cautes projectaque ſaxa Pachyni
Radimus, et fatis numquam conceſſa moveri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas oſtentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmoſa Selinus;
Et vada dura lego ſaxis Lilybeia cæcis.
Hinc Drepani me portus et illætabilis ora

Acci-

Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ casusque leuamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis, nequicquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum,
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Aeneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dido amore Aeneæ insaniens, animi sui morbum sorori aperit: ejusque consilium sequuta, ad nuptias animum adjicit. Juno quoque, ut Aeneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia liceat Aeneæ Elisam uxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam

turam ostendit. Postridie Aeneas et Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus jam prædæ intentis, Juno subitam immittit tempestatem. Comites alius alio diffugiunt. Aeneas et Dido in idem antrum conveniunt, ibique infaustis ominibus conjunguntur. Interim Jupiter, Jarbæ Getulorum regis (qui advenam sibi præferri iniquo animo ferebat,) precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Aeneam, mandatque ut relicta Africa in Italiam naviget. Ille Jovis imperio morem gerens, quæcunque ad navigationem erant necessaria, clam per socios parari jubet. Cæterum Dido, ubi classem instaurari sentit, suspicata id quod res erat, graviter cum ipso expostulat, precibusque et lacrimis tum per se ipsam, tum per sororem, eum ab incepto revocare conatur. Aeneas iterum in somnis a Mercurio admonitus, intempesta nocte ancoras solvit. Illa doloris impatiens, in editissima ædium parte, simulatione sacrorum ingentem pyram exstruit, ablegataque Barce, Sichæi nutrice, ne quid destinatæ morti impedimenti afferret, necem sibi conscivit.

At regina gravi jam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos. Hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Quum sic unanimam alloquitur male sana sororem:

Anna

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes! 10
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet, 15
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertæsum thalami tædæque fuisset;
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.
Anna, fatebor enim; miseri post fata Sychæi 20
Conjugis, et sparsos fraterna cæde Penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. Agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, 25
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis implevit obortis. 30
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua mœrens carpere juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti: 35

Non

Non Libyæ, non ante Tyro: despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit; Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello:
Et Numidæ infreni cingunt, et inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcæi. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dîs equidem auspiciibus reor et Junone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, causasque innecte morandi:
Dum pelago desævit hiems, et aquosus Orion,
Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo;
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Heu

Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cretia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius. Illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam.
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ adsurgunt turres; non arma juventus
Exercet; portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Cara Jovis conjux, nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis

Tuque

Tuque puerque tuus: magnum et memorabile numen,
Una dolo divûm si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam pactosque Hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis: liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Juppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge: sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido

In

In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adversata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit.
It portis jubare exorto delecta juventus;
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant: ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et lætus Iulus,
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Aeneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros: mixtique altaria circum

Cre-

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Aeneas: tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra:
Ecce feræ, saxi dejectæ vertice, capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: jamque hos cursu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit. Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes, et conscius æther
Connubiis: summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.

Ex-

Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes:
Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem, et pernicibus alis.
Monstrum horrendum, ingens: cui, quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio terræque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem,

Ex-

Excubias divûm æternas, pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis:
Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Adspicis hæc? An te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Femina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. Nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia, et oblitos famæ melioris amantes.
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbes,
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Grajumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis, belloque frementem
Ita-

Italiam regerat, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem;
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, et Lavinia respicit arva?
Naviget. Hæc summa est: hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit
Aurea: quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes; alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit; avi similis, quæ circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.
Haud aliter terras inter cœlumque volabat;
Litus arenosum Libyæ ventosque secabat

Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit, atque illi stellatus jaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna,
Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum et terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?

Atque

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Cloanthum,
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant;
Arma parent, et, quæ sit rebus caussa novandis,
Dissimulent. Sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Præsensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. Eadem impia fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur. Qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid si non arva aliena domosque

Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret;
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum; miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii: te propter eumdem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissæ;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

Pro

Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis umquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte mea componere curas;
Urbem Trojanam primum dulcesque meorum
Reliquias colerem: Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque adspectus detinet urbis;
Quæ tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago.
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, et fatalibus arvis.
Nunc etiam Interpres divûm, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit. Ipse deûm manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo, aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater adspicit æquis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi.
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu Furiis incensa feror! nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is Superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausturum scopulis, et nomine Dido
Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus absens:
Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, pœnas.
Audiam: et hæc Manes veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert;

Lin-

Linquens multa metu cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas;
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Jussa tamen divûm exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto naves. Natat uncta carina;
Frondentesque ferunt remos, et robora silvis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes:
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet,
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur: et supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore: circum

Undique convenere: vocat jam carbasus auras:
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miseræ hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi. Solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus:
Sola viri molles aditus et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi:
Nec patris Anchisæ cinerem Manesve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam: (miserere sororis:)
Quam mihi quum dederis cumulatam, morte remittam.
Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac velut, annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc

Erue-

Eruere inter se certant: it stridor; et alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis: et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas.
Mens immota manet: lacrimæ volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cœli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, thuricremis quum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri; nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas:

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes;
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit Furias evicta dolore,
Decrevitque mori; tempus secum ipsa modumque
Exigit: et, mœstam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, (gratare sorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta, solemque cadentem,
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas:
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manes. Mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviasque omnes, lectumque jugalem,
Quo perii, superimponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta juvat, monstratque sacerdos.

Hæc

Hæc effata silet. Pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychæi.
Ergo jussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis, atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea: super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum, et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni:
Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:
Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati
Sidera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, justumque memorque precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvæque et sæva quierant
Aequora: quum medio volvuntur sidera lapsu,

Quum tacet omnis ager: pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœnissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit. Ingeminant curæ: rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum
Jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos,
Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) sinet; ratibusve superbis
Invisam accipiet? nescis heu, perdita; necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis, omnique manu stipata meorum,
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es: ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam

Degere, more feræ, tales nec tangere curas?
Non ſervata fides, cineri promiſſa Sychæo!
Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.
Aeneas celſa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat ſomnos, rebus jam rite paratis.
Huic ſe forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in ſomnis, rurſusque ita viſa monere eſt;
Omnia Mercurio ſimilis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, et membra decora juventæ:
Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?
Nec, quæ te circum ſtent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis ſpirare ſecundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore verſat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æſtu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Jam mare turbari trabibus, ſævasque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis;
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile ſemper
Femina. Sic fatus nocti ſe immiſcuit atræ.
Tum vero Aeneas, ſubitis exterritus umbris,
Corripit e ſomno corpus, ſociosque fatigat:
Præcipites vigilate, viri, et conſidite tranſtris:
Solvite vela citi. Deus, æthere miſſus ab alto,
Feſtinare fugam, tortosque incidere funes,
Ecce iterum ſtimulat. Sequimur te, ſancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes
Adſis o, placidusque juves, et ſidera cœlo

Dextra feras. Dixit: vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet; rapiuntque, ruuntque.
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor.
Annixi torquent ſpumas, et cærula verrunt.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina e ſpeculis, ut primum albeſcere lucem
Vidit, et æquatis claſſem procedere velis,
Litoraque, et vacuos ſenſit ſine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flaventesque abſciſſa comas, Pro Juppiter! ibit
Hic, ait: et noſtris illuſerit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur,
Diripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi ſum? Quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, quum ſceptra dabas. En dextra fidesque!
Quem ſecum patrios ajunt portare Penates:
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriisque epulandum ponere menſis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. Fuiſſet,
Quem metui moritura? Faces in caſtra tuliſſem.
Impleſſemque foros flammis, natumque patremque

Cum

Cum genere exſtinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum et conſcia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Diræ ultrices, et Dî morientis Eliſſæ,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,
Et ſic fata Jovis poſcunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec, quum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, ſtirpem et genus omne futurum
Exercere odiis: cinerique hæc mittite noſtro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotesque.
Hæc ait, et partes animum verſabat in omnes;
Inviſam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum

Tum breviter Barcen nutricem affata Sychæi:
Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam, cara mihi nutrix, huc iſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum et monſtrata piacula ducat:
Sic veniat. Tuque ipſa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis;
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. Illa gradum ſtudio celerabat anilem.
At trepida, et cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfuſa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, et altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.
Hic, poſtquam Iliacas veſtes notumque cubile
Conſpexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
Dulces exuviæ, dum fata deusque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis.
Vixi, et, quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, ſi litora tantum
Numquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ!
Dixit: et, os impreſſa toro, Moriemur inultæ!
Sed moriamur, ait. Sic, ſic juvat ire ſub umbras.

Hau-

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et noſtræ ſecum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Collapſam adſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſasque manus. It clamor ad alta
Atria: concuſſam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt: reſonat magnis plangoribus æther:
Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur, perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,
Unguibus ora ſoror fœdans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deſerta querar? comitemne ſororem
Spreviſti moriens? Eadem me ad fata vocaſſes;
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet.
His etiam ſtruxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, ſic te ut poſita crudelis abeſſem?
Exſtinxti me teque, ſoror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date vulnera lymphis,
Abluam, et, extremus ſi quis ſuper halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaſerat altos,
Semianimemque ſinu germanam amplexa fovebat

Cum

Cum gemitu, atque atros ficcabat veſte cruores.
Illa, graves oculos conata attollere, rurſus
Deficit. Infixum ſtridit ſub pectore vulnus.
Ter ſeſe attollens cubitoque adnixa levavit:
Ter revoluta toro eſt, oculisque errantibus alto
Quæſivit cœlo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miſerata dolorem,
Difficilesque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque reſolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte, peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoq; accenſa furore,
Nondum illi flavum Proſerpina veſtice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco:
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Devolat, et ſupra caput adſtitit: Hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, et dextra crinem ſecat. Omnis et una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Aeneas, relicta Carthagine in Italiam navigans, vi tempestatis in Siciliam defertur: ubi ab Aceste benigne exceptus, manibus Anchisæ patris, quem superiori anno, eodem die, apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, ludosque apud tumulum ejus instituit, suaque victoribus præmia decernit. Navali certamine vincit Cloanthus. Euryalus, Nisi dolo, cursu superat. Entellus senex Dares rum juveniliter se jactantem cæstu vincit. Sagittandi peritia superat Eurytion: prima tamen præmia, ætatis dignitatisque habita ratione, Acestæ decernuntur, cujus sagitta in aërem emissa subito exarserat. Ascanius in honorem Anchisæ avi, cum primæ nobilitatis pueris, equestres ludos pugnamque imaginariam exhibet. Interea Trojanæ mulieres, hortatu Iridis, longæque navigationis tædio, ignem in classem conjiciunt, quatuorque naves exurunt; ceteræ subita a Jove immissa pluvia, incendio sunt ereptæ. Nocte sequenti Anchises, Aeneæ filio in somnis apparens, Jovis verbis admonet, ut,

ut Nautæ consilium sequutus, mulieres, imbellesque senes in Sicilia relinquat: ipse cum juventutis robore integræque ætatis flore in Italiam naviget; Sibyllæque inprimis antrum adeat: illius enim ductu se in campos Elysios esse venturum, ubi et posteritatis suæ seriem omniumque instantium bellorum discat eventum. Monitis itaque paternis morem gerens, Aeneas oppidum in Sicilia condit, nomine Acestam: eo et matrum et senum bello inutilium coloniam transscribit: ipse cum exercitus robore Italiam petit. Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, naviganti Aeneæ mare tutum præstat. Palinurus, in tanta securitate somno succumbens, una cum gubernaculo in mare excutitur: ejusque vicem supplet Aeneas.

Interea medium Aeneas jam classe tenebat,
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elissæ
Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem,
Causa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, et undique cœlum;
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens: et horruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quidnam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quid-

Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Juppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur:
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere naves,
Quam quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
Hæc ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri. Fertur cita gurgite classis:
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ:
Troïa Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, et gaza lætus agresti

Exci-

Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies; socios in cœtum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divûm:
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic di voluistis), habebo.
Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenæ;
Annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
Exsequerer; strueremque suis arida donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem:
Poscamus ventos: atque hæc me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves. Adhibete Penates,
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.
Quique pedum cursu valet, et qui, viribus audax,
Aut jaculo incedit melior, levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:

Cuncti

Cuncti adsint, meritæque exspectent præmia palmæ,
Ore favete omnes, et tempora cingite ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius: sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum: salvete recepti
Nequidquam cineres, animæque, umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quærere Tybrim.
Dixerat hæc: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras, et lævia pocula serpens,
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,

In-

Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentes,
Totque sues, totidemque nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, Manesque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos et clari nomen Acestæ
Excierat. Læto complerant litora cœtu,
Visuri Aeneadas: pars et certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta:
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quattuor, ex omni delectæ classe, carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin:
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmî:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna: Scyllaque Cloanthus
Cæru-

Cærulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori:
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater: unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent, ostroque decori.
Cetera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis:
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus: adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora: pulsati colles clamore resultant.

Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc una ambæ junctisque feruntur
Frontibus, et longa sulcant vada salsa carina.
Jamque propinquabant scopulo, matamque tenebant,
Cum princeps, medicque Gyas in gurgite victor,
Rectorem navis compellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum.
Litus ama, et lævas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum: pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitoque priorem
Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens:
Nec lacrimis caruere genæ: segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui sociûmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.

At

At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo eſt,
Jam ſenior, madidaque fluens in veſte, Menœtes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum et labentem Teucri et riſere natantem:
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,
Sergeſto Mneſtheoque, Gyan ſuperare morantem.
Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior: partem roſtro premit æmula Priſtis.
At media ſocios incedens nave per ipſos
Hortatur Mneſtheus: nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii; Trojæ quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus uſi,
Ionioque mari, Maleæque ſequacibus undis.
Non jam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo.
Quamquam o! ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune, dediſti.
Extremos pudeat rediiſſe. Hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque ſolum. Tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: ſudor fluit undique rivis.
Attulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namque furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo;

Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ, et magno clamore morantur:
Ferratasque trudes, et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, succesuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebrosò in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora: sic illam fert impetus ipse volantem,
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum, brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan, ipsamque ingenti mole Chimæram,
Consequitur. Cedit: quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso supereſt in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus et partum, indignantur, honorem
Ni teneant; vitamque volunt pro laude paciſci
Hos

Hos succeſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris:
Ni, palmas ponto tendens utrasque, Cloanthus
Fudiſſetque preces, divosque in vota vocaſſet:
Dî, quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc eandentem in litore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus; Panopeaque virgo,
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit. Illa noto citius volucrique ſagitta
Ad terram fugit, et portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naves ternos optare juvencos,
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextusque puer frondoſa regius Ida
Velocis jaculo cervos curſuque fatigat
Acer, anhelanti ſimilis, quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad ſidera tendunt
Cuſtodes: ſævitque canum latratus in auras.

At, qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: Indutus at olim
Demoleos cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas;
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis:
Quum sævo e scopulo multa vix arte revulsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit; aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat:
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus, sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,
Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Aeneas misso certamine tendit

Gra-

Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi.
Euryalus forma insignis, viridique juventa:
Nisus amore pio pueri. Quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius, simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ sanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestæ.
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo lævato lucida ferro
Spicula, cælatamque argento ferre bipennem,
Omnibus hic erit unus honos. Tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threïciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma.

Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito; limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes, simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumque relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem adventabant; lævi cum sanguine Nisus
Labitur infelix: cæsis ut forte juvencis
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit immundoque simo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.
Ille autem spissa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis, et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.

Tuta-

Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ,
Gratior et pulcro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gætuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret; quæ munera Nisо
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ et Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra simo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum;
Ensem atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra:

Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et salva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneæ stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet; atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ,
Quæ finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro considerat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste

Ex-

Exsultat fidens, si nunc foret illa Juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit; quibus acer Eryx in prœlia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces:
Quid, si quis cæstus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc fractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus;
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares hæc Trojus arma recusat,
Idque pio sedet Aeneæ, probat auctor Acestes;
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solve metus, et tu Trojanos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.

Tum fatus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum intexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille pedum melior motu, fretusque juventa:
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant: vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus: erratque aures et tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub vulnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; et variis adsultibus irritus urget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit; et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Con-

Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes:
It clamor cœlo, primusque accurrit Aceστes,
Aequævumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant; sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnæ, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque, et prœlia voce diremit.
Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves; galeamque ensemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque hæc, inquit, cognoscite, Teucri;
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires:
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,

Qui donum adstabat pugnæ: durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animum pro morte Daretis
Persolvo: hic victor cæstus artemque repono.
Protenus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat, qui forte velint; et præmia ponit:
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare: qui quondam, jussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsedit Acestes;
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum nervo stridente sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras:
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales,

Ales, et ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens: pariterque oculos telumque tetendit:
Aſt ipſam miſerandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos et vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus, jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cœlo ſpeculatus; et alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Aetheriis, fixamque refert delapſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras,
Oſtentans artemque pater arcumque ſonantem.
Hic oculis ſubitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monſtrum: docuit poſt exitus ingens:
Seraque terrifici cecinerunt omnia vates.
Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque receſſit
Conſumta in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa
Transcurrunt, crinemque volantia ſidera ducunt.
Attonitis hæſere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Aeneas; ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem dueere honores.
Ipſius Anchiſæ longævi hoc munus habebis,

Cra-

Cratera impressum signis: quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro;
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et, Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos jubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.
Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro:
Pars læves humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
No-

Nomen avi referens Priamus; tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis; vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini:
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher, Iulus
Sidonio est invectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ; veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fuga nudant: nunc spicula vertunt
Infensi: facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error.

Haud

Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et prœlia ludo,
Delphinum similes: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Rettulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes.
Albani docuere suos: hinc maxima porro
Accepit Roma, et patrium servavit honorem:
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo;
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum adspectabant flentes: Heu! tot vada fessis,
Et tantum superesse maris: vox omnibus una;
Urbem orant; tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi

Con-

Conjicit, et faciemque deæ vestemque reponit:
Fit Beroë, Tmarii conjux longæva Dorycli;
Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent:
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriæ sub mœnibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas,
Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraque emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes.
Quid prohibet muros jacere, et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequicquam ex hoste Penates;
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum et Simoënta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quærite Trojam;
Hic domus est, inquit, vobis. Jam tempus agi res:
Nec tantis mora prodigiis. En quattuor aræ
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. Arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteia, matres,
Est Dorycli conjux; Divini signa decoris,

Ar-

Ardentesque notate oculos; qui spiritus ille,
Qui vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres, primo ancipites, oculisque malignis,
Ambiguæ spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monstris actæque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars spoliant aras, frondem, ac virgulta, facesque
Conjiciunt. Furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per et remos, et pictas abiete puppes.
Nuntius Anchisæ ad tumulum, cuneosque theatri,
Incensas perfert naves Eumelus: et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra: nec exanimes possant retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivum; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.

Ast

Aſt illæ diverſa metu per litora paſſim
Diffugiunt; ſilvasque, et ſicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque, ſuosque
Mutatæ agnoſcunt, excuſſaque pectore Juno eſt.
Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas poſuere: udo ſub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Eſt vapor, et toto deſcendit corpore peſtis:
Nec vires heroum infuſaque flumina proſunt.
Tum pius Aeneas humeris abſcindere veſtem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Juppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad unum
Trojanos, ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos; da flammam evadere claſſi
Nunc, Pater, et tenues Teucrûm res eripe leto.
Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, quum effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, et campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſisque nigerrimus auſtris:
Implenturque ſuper puppes; ſemiuſta madeſcunt
Robora. Reſtinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quattuor amiſſis, ſervatæ a peſte carinæ.
At pater Aeneas, caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans, Siculisne reſideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte,

Hæc

Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Isque his Aenean ſolatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur;
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſiliis ſocium et conjunge volentem:
Huic trade, amiſſis ſuperant qui navibus, et quos
Pertæſum magni incepti rerumque tuarum eſt:
Longævosque ſenes, ac feſſas æquore matres,
Et quicquid tecum invalidum metuensque periculi eſt,
Delige: et, his habeant terris, ſine, mœnia feſſi:
Urbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam.
Talibus incenſus dictis ſenioris amici.
Tum vero in curas animus diducitur omnes:
Et Nox atra polum bigis ſubvecta tenebat.
Viſa dehinc cœlo facies delapſa parentis
Anchiſæ ſubito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis:
Imperio Jovis huc venio, qui claſſibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior: lectos juvenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt. Ditis tamen ante

In-

Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristesque umbræ; sed amœna piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quæ dentur mœnia, disces.
Jamque vale. Torquet medios nox humida cursus:
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat: et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans cinerem et sopitos suscitat ignes;
Pergameumque Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Jovis imperium et cari præcepta parentis
Edocet, et quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis: aptant remosque rudentesque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,

Sor-

Sortitusque domos, hoc Ilium et hæc loca Trojam
Esse jubet. Gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchisæo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos; placidi straverunt æquora venti:
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus:
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans commendat Acestæ.
Tres Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam,
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Allequitur, talesque effundit pectore questus:
Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.

Non

Non media de gente Phrygum exediſſe nefan-
dis
Urbem odiis ſatis eſt, nec pœnam traxe per omnem
Reliquias: Trojæ cineres atque oſſa peremtæ
Inſequitur. Cauſſas tanti ſciat illa furoris.
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in undis,
Quam molem ſubito excierit. Maria omnia cœ-
lo
Miſcuit, Aeoliis nequicquam freta procellis,
In regnis hoc auſa tuis.
Per ſcelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exuſſit fœde puppes; et claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotæ linquere terræ.
Quod ſupereſt; oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi: liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si conceſſa peto, ſi dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis: merui quoque. Sæpe furores
Compreſſi et rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoëntaque teſtor,
Aeneæ mihi cura tui. Quum Troïa Achilles
Exanimata ſequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere poſſet
In mare ſe Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congreſſum Aenean, nec Dîs nec viribus æquis,
Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.

Nunc quoque mens eadem perſtat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amiſſum quem gurgite quæret:
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta deæ permulſit pectora dictis:
Jungit equos auro genitor, ſpumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru.
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies; immania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Aeneæ ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſolvere ſinus: una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt ſua flamina claſſem.
Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii curſum contendere juſſi.
Jamque fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat: placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautæ:
Quum levis ætheriis delapſus Somnus ab aſtris

Aër

Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem;
Aequatæ spirant auræ: datur hora quieti.
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Me tales placidi vultus, fluctusque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus austris,
Et cœli totiens deceptus fronde serena?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora: cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte revulsa,
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem;
Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos:

Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium cœlo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Cumas advectus Aeneas antrum Sibyllæ petit: perfectoque de more sacrificio, Phœbi oraculum consulit. Ibi et instantia pericula et futuri belli eventum discit. Miseni cadaver in litore inventum comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit. Inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce per Averni fauces ad inferos descendit. Palinurum, quod sepulcri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit, eumque una in ulteriorem ripam trajicere cupientem Sibylla prohibet.

libet, cenotaphiique et exequiarum ſpe conſolatur. Poſt hæc Stygem trajectus Aeneas, Cerberoque medicatis offis ſopito, per loca infantium, eorumque qui falſo crimine damnati capite ſupplicium luerant, iter faciens, pervenit ad ſedem eorum, qui amoris impatientia manus ſibi conſciverant. Ibi Eliſam conſpicatus cum ei ſe purgare vellet, illa indignabunda conſpectum ejus effugit. Inde progreſſus, Deiphobum in ſedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conſpicit, necisque ejus indignum modum ab ipſo edocetur. Relicto deinde ad lævam Tartaro, ſceleratorumque pœnas a Sibylla edoctus, ad Ditis ipſius mœnia contendit, aureumque ramum in ipſo regiæ limine defigit. Poſt hæc ad fortunatorum ſedes iter inſtituit, et a Muſæo ad patrem ſuum perducitur. Ibi Anchiſes Aeneæ filio Albanorum Romanorumque regum catalogum recenſet, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Julii Cæſaris et Auguſti laudes deſcendit: Marcellumque Octaviæ filium, immatura morte præreptum, miris in cœlum laudibus effert. Inde per eburneam portam ad Superos egreſſus, ſocios reviſit, relictisque Cumis Cajetam petit.

Sic fatur lacrimans, claſſique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: dum dente tenaci
Ancora fundabat naves, et litora curvæ
Prætexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens
Litus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis: pars denſa ferarum

Tecta rapit, silvas: inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviæ lucos atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus letum Androgei: tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mixtumque genus prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.
Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis; ni jam præmissus Achates
Affo-

Afforet, atque una Phœbi Triviæque ſacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi:
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Aenean (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum:
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait. Deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores, ſubito non vultus, non color unus,
Non comtæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale ſonans: afflata eſt numine quando
Jam propriore dei. Ceſſas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? ceſſas? neque enim ante dehiſcent
Attonitæ magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phœbe, graves Trojæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repoſtas
Maſſylum gentes, prætentaque Syrtibus arva;
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna ſecuta.

Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Diique deæque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniæ. Tuque, o sanctissima vates,
Præscia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo et Triviæ solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata,
Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis;
Sed terra graviora manent. In regna Lavini
Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam:
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra

De-

Defuerint. Alius Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Juno
Usquam aberit: Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentes Italûm aut quas non oraveris urbes!
Caussa mali tanti conjux, iterum hospita Teucris;
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens. Ea frena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt;
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectæ.
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,

Alma, precor, miserere. Potes namque omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit Manes arcessere conjugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? et mi genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat;
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divûm,
Tros Anchisiade, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dîs geniti potuere. Tenent media omnia silvæ,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer. Hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avulso non deficit alter

Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem;
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
Aeneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum; cæcosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant:
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum,
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Aeoliden: quo non præstantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat æquora concha,

Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Aeneas. Tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ: sonat icta securibus ilex:
Fraxineæque trabes, cuneis et fissile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Necnon Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam immensam, et sic voce precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ quum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, lætusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit;
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces graveolentis Averni

Tol-

Tollunt se celeres; liquidumque per aëra lapsæ
Sedibus optatis geminæ super arbore sidunt:
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice: sic leni crepitabant bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis et robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et ungunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamine nota,
Conjiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit;
Reliquias vino et bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta cado texit Corynæus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivæ:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula nomen.
His actis propere exsequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
[Unde locum Graji dixerunt nomine Aornon.]
Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et, summas carpens media inter cornua sætas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Cœloque Ereboque potentem;
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri
Silvarum, visæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco:
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:

Nunc

Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Dî, quibus imperium est animarum, Umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late;
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi cœlum condidit umbra
Juppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ:
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formæ; Letumque, Laborque:
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,

Et

Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammisque armata Chimæra:
Gorgones, Harpyjæque, et forma tricorporis umbræ.
Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamque aciem venientibus obfert,
Et, ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ,
Irruat, et fruſtra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic cœno vaſtaque voragine gurges
Aeſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina ſervat
Terribili ſqualore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet: ſtant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, velisque miniſtrat,
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba,
Jam ſenior; ſed cruda deo viridisque ſenectus.
Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impoſitique rogis juvenes ante ora parentum.
Quam multa in ſilvis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus amnis
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere curſum,

Ten-

Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos:
Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos:
Anchisa generate, deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dî cujus jurare timent et fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mœstos et mortis honore carentes,
Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos, simul a Troja ventosa per æquora vectos,
Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mœstum cognovit in umbra;

Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. En hæc promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans traxi mecum. Maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres Notus hibernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terræ: jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, prædamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice, namque potes; portusque require Velinos.
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix

Osten-

Oſtendit (neque enim, credo, ſine numine divûm
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram miſero, et tecum me tolle per undas;
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.
Talia fatus erat, cœpit quum talia vates:
Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque ſeverum
Eumenidum adſpicies, ripamve injuſſus abibis?
Deſine fata deum flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cœleſtibus, oſſa piabunt;
Et ſtatuent tumulum, et tumulo ſollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulſusque parumper
Corde dolor triſti: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant;
Navita quos jam inde ut Stygia proſpexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias: jam iſtinc et comprime greſſum.
Umbrarum hic locus eſt, Somni Noctisque ſoporæ:

Cor-

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu, nec Theſea Pirithoumque:
Dîs quamquam geniti, atque invicti viribus, eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit;
Ipſius a ſolio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata eſt Amphryſia vates:
Nullæ hic inſidiæ tales; abſiſte moveri:
Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Aeternum latrans exſangues terreat umbras:
Caſta licet patrui ſervet Proſerpina limen.
Troïus Aeneas, pietate inſignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi deſcendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veſte latebat)
Agnoſcas. Tumida ex ira tum corda reſidunt;
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo poſt tempore viſum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga longa ſedebant,
Deturbat, laxatque foros: ſimul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimoſa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.

Cer-

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle ſoporatam et medicatis frugibus offam
Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga reſolvit
Fuſus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum cuſtode ſepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exſortes, et ab ubere raptos,
Abſtulit atra dies, et funere merſit acerbo.
Hos juxta falſo damnati crimine mortis.
Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice, ſedes.
Quæſitor Minos urnam movet: ille ſilentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina diſcit.
Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi letum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obſtat, triſtique palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfuſa coërcet.
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. Sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Silva tegit. Curæ non ipſa in morte relinquunt.

His

His Phædram Procrinque locis, mœſtamque Eriphylen,
Crudelis nati monſtrantem vulnera, cernit,
Evadnenque, et Paſiphaën: his Laodamia
It comes, et juvenis quondam, nunc femina, Cæneus,
Rurſus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœniſſa recens a vulnere Dido
Errabat ſilva in magna: quam Troïus heros,
Ut primum juxta ſtetit, agnovitque per umbram
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat, per nubila, Lunam,
Demiſit lacrimas, dulcique affatus amore eſt:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat, exſtinctam, ferroque extrema ſecutam;
Funeris heu tibi cauſſa fui? Per ſidera juro,
Per ſuperos, et, ſi qua fides tellure ſub ima eſt,
Invitus, regina, tuo de litore ceſſi.
Sed me juſſa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egere ſuis: nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Siſte gradum, teque adſpectu ne ſubtrahe noſtro.
Quem fugis? extremum, fato quod te alloquor, hoc eſt.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:
Nec magis incepto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.

Tan-

Tandem corripuit seſe, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi priſtinus illi
Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Aeneas, caſu percuſſus iniquo,
Proſequitur lacrimans longe, et miſeratur euntem.
Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari ſecreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopæus, et Adraſti pallentis imago.
Hic multum fleti ad ſuperos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Theriſilochumque,
Tres Antenoridas, Cererique ſacrum Polyphœten,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumſtant animæ dextra lævaque frequentes.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi diſcere cauſſas.
At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu. Pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam. Inceptus clamor fruſtratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhoneſto vulnere nares.

Vix

Vix adeo agnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optavit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgum
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Constitui, et magna Manes ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quæ hæc Priamides: nihil o tibi, amice, relictum:
Omnia Deiphobo solvisti, et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis: illa hæc monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa, chorum simulans, evantes orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem:

Intra

Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo. Comes additus una
Hortator scelerum Aeolides. Dî, talia Grajis
Instaurate; pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divûm? an quæ te Fortuna fatigat,
Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio cursu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit:
Hac iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne sævi, magna sacerdos:
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ:

Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant. Stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit.
Quæ scelerum facies? o virgo, effare: quibusve
Urgentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen:
Sed me, quum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas geminos, immania vidi

Cor-

Corpora: qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Grajûm populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divûmque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos, et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea tædis
Lumina; præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique
Imminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima juxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas:
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusque parens, et fraus innexa clienti;

Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est:
Quique ob adulterium cæsi: quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam exspectant. Ne quære doceri,
Quam pœnam; aut quæ forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum
Districti pendent; sedet, æternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ vetitosque hymenæos.
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus:
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas,
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti

Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos, et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul, currusque virûm miratur inanes.
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti,

Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla;
Musæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animæ, tuque, optime vates;
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum; et facili jam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superûmque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit;
Effusæque genis lacrimæ; et vox excidit ore;
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; et notas audire et reddere voces?

Sic

Sic equidem ducebam animo, rebarque, futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit;
Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Interea videt Aeneas in valle reducta
Secluſum nemus, et virgulta ſonantia ſilvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem,
Hunc circum innumeræ gentes populique volabant;
Ac, veluti in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horreſcit viſu subito, cauſſasque requirit
Inſcius Aeneas, quæ ſint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchiſes: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque oſtendere coram

Jampridem, hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque in tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo:
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo,
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras
Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.
Quin et supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Quis-

Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises: natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque sonantem:
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit
Adversos legere, et venientum discere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Italo commixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.

Qui juvenes quantas oſtentant, adſpice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
[Laude pudicitiæ celebres, addentque ſuperbos]
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc ſunt ſine nomine terræ.
Quin et avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus; Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. Viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperûm jam ſignat honore?
En, hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperiunt terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm. Qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies: hanc adſpice gentem,
Romanosque tuos. Hic Cæſar, et omnis Iuli
Progenies, magnum cœli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis,
Auguſtus Cæſar, Divi genus: aurea condet
Sæcula qui rurſus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; ſuper et Garamantas et Indos
Proferet imperium; jacet extra ſidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Hujus

Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent Divûm, et Mæotia tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu:
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani: primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus sævasque secures
Accipiet: natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriæ laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi

Aeſpice Torquatum, et referentem ſigna Camillum.
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, et dum nocte prementur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt!
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci
Deſcendens; gener adverſis inſtructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adſueſcite bella:
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, ſanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipſumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo, fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? parvoque potentem
Fabricium? vel te ſulco, Serrane, ſerentem?
Quo feſſum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.
Excudent alii ſpirantia mollius æra:
Credo equidem; vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius, cœlique meatus
Deſcribent radio, et ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento:

Hæ

Hæ tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, et dejecto lumina vultu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum præterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam impune tulisset

Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda,
Laurentesque docet populos, urbemque Latini:
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.
His ibi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna.
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit.
Tum se ad Cajetæ recto fert litore portum.
Ancora de prora jacitur: stant litore puppes.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Cajetam, nutricem suam, Aeneas sepelit, locumque ipsum ab ejus nomine Cajetam appellat. Inde Circes sedem praetervehitur: secundoque vento ad Tiberis ostia defertur; adversoque flumine subvectus, in Laurentem agrum egreditur. Ibi eum ex Ascanii verbis cognovisset, eam esse terram fatis sibi debitam; ad Latinum regem, qui ejus tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui et suo nomine illi munera offerrent, et urbis condendae locum peterent. Latinus legatione benigne audita, praeter postulata, Laviniam filiam suam, quam et ex Fauni, patris sui, oraculis et augurum responsis externo viro tradere jubebatur, ultro Aeneae conjugem offert. Interim Juno, prosperis Trojanorum rebus offensa, Alecto ad disturbandam pacem ab inferis evocat: quae primum Amatam, Latini uxorem, deinde ipsum etiam Turnum furiis suis implet: atque inde ad Trojanorum juventutem conversa, quae tum forte venationi operam dabat, mansuetum illis cervum objicit, Tyrrhi, armentarii regii, liberis in-

inprimis earum: quem cum Ascanius sagitta vulnerasset, rustici arreptis armis in Trojanos impetum faciunt. Alecto ex superiore loco classicum canit: cadunt in eo tumultu Almon, Tyrrhi filius natu maximus, et Galesus, agricola regionis totius locupletissimus: qui cum in urbem mortui essent relati, Turnus et Amata regem Latinum ad bellum suscipiendum, injuriamque manu vindicandam exstimulant. Verum cum ille et fatorum, et fœderis nuper cum Trojanis initi memor, adduci non posset, ut illis bellum indiceret, Juno ipsa belli portas aperit. Turni auspicio ad bellum sequitur Mezentius, una cum Lauso filio: item Aventinus, Herculis ex Rhea filius: Catillus et Coras Tiburtini, fratres: Camilla ex Volscorum gente, mulier fortissima: aliique complures, quorum catalogus ad finem libri recensetur.

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti.
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signant.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant auræ in noctem, nec candida cursus
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur litora terræ:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,

Argu-

Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum:
Sætigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira subirent;
Neptunus ventis implevit vela secundis:
Atque fugam dedit, et præter vada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variæ circumque supraque
Adsuetæ ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terræque advertere proras
Imperat, et lætus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella:
Dicam

Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo:
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divûm, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,

Ad-

Adventare virum, et partes petere aginen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Præterea, castis adolet dum altaria tædis,
Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis non crede paratis;

Ex-

Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent, quorumque a stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbes
Ausonias tulerat; quum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Aeneas, primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (sic Juppiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris;
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit;
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Trojæ salvete Penates.
Hic domus, hæc patria est. Genitor mihi talia, namque
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas:
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Pri-

Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames; hæc nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo læti cum lumine solis,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa;
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
Invocat; et duplices Cœloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit: radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, et vina coronant.
Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies; urbem, et fines, et litora gentis
Diversi explorant: hæc fontis stagna Numici,
Hunc Tybrim fluvium, hic fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis

Ire

Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, paceinque exposcere Teucris.
Haud mora: festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum; primasque in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, et primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus;
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Quum prævectus equo longævi regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat; et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro; Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant: aliique ab origine reges,

Mar-

Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit:
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidæ, neque enim nescimus et urbem,
Et genus, auditique advertitis æquore cursum.
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte sua veterisque Dei se more tenentem,
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbes,

Threï-

Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit; et numero divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viæ litusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes
Gaudet avo. Rex ipse, Jovis de gente suprema,
Trojus Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis;
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti
Dîs sedem exiguam patriis litusque roganus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores: nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti:
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneæ juro, daxtramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis;

Multi

Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea Fortunæ parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur:
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dî nostra incepta secundent,
Auguriumque suum. Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,

Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusve vocari,
Adveniat; vultus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Aeneæ currum geminosque jugales,
Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Subposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Aeneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat:
Et lætum Aeneam classemque ex æthere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno,
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ:
De-

Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, hæc effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa crema-
vit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi —
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto;
Absumtæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Cha-
rybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit: concessit in iras
Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona me-
rentem?
Ast ego magna Jovis conjux nil linquere inau-
sum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti.
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non
sunt
Magna satis; dubitem haud equidem implorare quod
usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:

At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo:
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis prægnans ignes enixa jugales:
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Aeneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimos armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis

Prin-

Principio Latium et Laurentis tecta tyranni.
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrûm Turnique hymenæis
Femineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestes et lævia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam. Fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius, et solito matrum de more, locuta est;
Multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenæis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret natæque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?

Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram, quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere Divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat;
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia supra
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur:
Evoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans: etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat: Furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla comasque.

Ast

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus haſtas.
Ipſa inter medias flagrantem fervida pinum
Suſtinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quæque, Latinæ:
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, ſi juris materni cura remordet;
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
Talem inter ſilvas, inter deſerta ferarum,
Reginam Alecto ſtimulis agit undique Bacchi.
Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumque omnemque domum vertiſſe Latini:
Protenus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acriſionæis Danaë fundaſſe colonis,
Præcipiti delata noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis: et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in alt[illegible]
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem et furialia membra
Exuit: in vultus ſeſe transformat aniles,
Et frontem obſcœnam rugis arat; induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit olivæ:
Fit Chalybe Junonis anus templique ſacerdos;
Et juveni ante oculos his ſe cum vocibus offert:
Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis transſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæſitas ſanguine dotes

Abnegat: externusque in regnum quæritur heres.
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis:
Tyrrhenas, i, sterne acies: tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida quum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Lætus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Cœlestum vis magna jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis, vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Tybridis alveo,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, Divûm effigies et templa tueri:
Bella viri pacemque gerent, quîs bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus:
Deriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quærentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En, ego victa situ, quam veri effœta senectus

Arma

Arma inter regum falsa formidine ludit:
(Respice ad hæc:) adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli:
Ira super; magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exsultantque æstu latices: furit intus aquæ vis,
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis:
Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit;
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet:
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.

Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima laborum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma præstanti et cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Adsuetum imperiis soror omnis Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensæque adsuetus herili,
Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovere canes: fluvio quum forte secundo
Defloeret, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus abfuit; actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrhus,

Qua-

Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At sæva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli: et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et silvæ intonuere profundæ.
Audiit et Triviæ longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: nec non et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant:
Fluctus uti primo cœpit quum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; hæsit enim sub gutture vulnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, seniorque Galæsus,
Dum paci medium se offert: justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:

Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, et cœli convexa per auras
Junonem victrix affatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coëant, et fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:
Hoc etiam his addam; tua si mihi certa voluntas;
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Juno: terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussæ: pugnatur comminus armis.
Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia et tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras,
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,

Am-

Amſancti valles. Denſis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis et torto vertice torrens.
Hic ſpecus horrendum, ſævi ſpiracula Ditis,
Monſtratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces: quîs condita Erinnys,
Inviſum numen, terras cœlumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Paſtorum ex acie numerus, cæſosque reportant,
Almonem puerum, fœdatique ora Galæſi:
Implorantque deos, obteſtanturque Latinum.
Turnus adeſt, medioque in crimine cædis et igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admiſceri Phrygiam; ſe limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Inſultant thiaſis (neque enim leve nomen Amatæ),
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm, perverſo numine poſcunt.
Certatim regis circumſtant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, reſiſtit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; ſcopuli nequicquam et ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.
Verum, ubi nulla datur cæcum exſuperare poteſtas
Conſilium, et fævæ nutu Junonis eunt res;

Multa deos aurasque pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in prœlia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indas,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ Belli portæ (sic nomine dicunt),
Religione sacræ et sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cetera pubes:
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit

Fœda

Fœda miniſteria, et cæcis ſe condidit umbris.
Tum Regina deûm cœlo delapſa morantes
Impulit ipſa manu portas, et cardine verſo
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.
Ardet inexcita Auſonia, atque, immobilis ante,
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars læves clipeos, et ſpicula lucida tergunt
Arvina pingui, ſubiguntque in cote ſecures:
Signaque ferre juvat, ſonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ poſitis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerîque, et turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque ſalignas
Umbonum crates: alii thoraeas ahenos,
Aut læves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor: recoquunt patrios fornacibus enſes.
Claſſica jamque ſonant: it bello teſſera ſignum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad juga cogit equos; clipeumque, auroque trilicem
Loricam induitur; fidoque accingitur enſe.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.
Et meminiſtis enim, Divæ, et memorare poteſtis;

Ad

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemtor Divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lauſus, equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex urbe ſecutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior eſſet
Imperiis, et cui pater haud Mezentius eſſet.
Poſt hos inſignem palma per gramina currum,
Victoresque oſtentat equos, ſatus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clipeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus Hydram:
Collis Aventini ſilva quem Rhea ſacerdos
Furtivum partu ſub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, poſtquam Laurentia victor,
Geryone exſtincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu ſævosque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipſe pedes tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum ſæta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus;

Et

Et prima ante aciem denſa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ quum vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes curſu rapido: dat euntibus ingens
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agreſtia regem
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. Hunc legio late comitatur agreſtis:
Quique altum Prænesten viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, et roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt; quos, dives Anagnia, paſcis,
Quos, Amaſene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve ſonant. Pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit: pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Meſſapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec ſternere ferro,
Jam pridem reſides populos, deſuetaque bello
Agmina, in arma vocat ſubito, ferrumque retractat.
Hi Feſcenninas acies Aequosque Faliſcos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni,

Quum

Quum sese e passu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Miscerí putet: aëriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellæ:
Qui Tybrim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis;
Vel quum sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille

Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Aequora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.
Lævas cætra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale: quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret
Jam senior: patriis sed non et filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, et quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent: atque arva Celennæ,
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere catejas:
Tegmina quis capitum raptus de subere cortex:
Aeratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misere in prœlia Nersæ,
Ufens, insignem fama et felicibus armis:
Horrida præcipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici cuspidis oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris

Spar-

Spargere qui somnos catuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, et Marsis quæsitæ montibus herbæ.
Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patrias explerit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis et amore Dianæ.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphæ Egeriæ nemorique relegat:
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentes haud secius æquore campi

Exer-

Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet, Aetnæos effiantem faucibus ignes;
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At lævem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam sætis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum; quîs Juppiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes ære catervas
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ
Femineas adsueta manus; sed prœlia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret

Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos læves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Belli signum Turnus ex Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque urbium sibi auxilia adjungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi similitudine ad belli societatem impellat. Quibus rebus permotus Aeneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tiberini monitu, adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita fuit: Evandrique regis, qui, ex Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Pallanteum condiderat, auxi-

auxilium implorat. Evander Aeneam, adventus ejus causſa cognita, benigne hoſpitio excipit: ſacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum, cauſſam ritusque ſacrificii edocet, locaque ejus tractus nobiliora obiter hoſpiti recenſet. Poſtridie Aeneas, equitum quadringentorum ſubſidio adjutus, quibus præerat Pallas, unicus Evandri filius, partem copiarum ſecundo flumine ad ſuos remittit: ipſe cum reliquis Agyllam, florentiſſimam Tyrrhenorum civitatem, petit: cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, internecina odia intercedebant. Interim Vulcanus, uxoris blanditiis adductus, privigno ſuo arma fabricatur, eademque a Venere ad Aeneam deferuntur: qui armorum pulchritudine delectatus, cum cetera omnia tum clipeum inprimis, qui res a poſteritate ſua ſtrenue gerendas habebat depictas, ſtudioſe admiratur.

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco ſtrepuerunt cornua cantu;
Utque acres concuſſit equos; utque impulit arma:
Extemplo turbati animi; ſimul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, ſævitque juventus
Effera. Ductores primi Meſſapus et Ufens,
Contemtorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vaſtant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio conſiſtere Teucros,
Advectum Aenean claſſi, victosque Penates
Inferre, et fatis regem ſe dicere poſci,

Edo-

Edoceat, multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat; et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Quum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis;
Hic tibi certa domus: certi, ne absiste, Penates:
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et iræ

Con-

Concessere deûm.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
[Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:]
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus,
exit.
Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens. Nox Aenean somnusque reliquit.
Surgit, et, ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis

Suſtulit, ac tales effundit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde eſt.
Tuque, o Tybri, tuo genitor cum flumine ſancto,
Accipite Aenean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus, miſerantem incommoda noſtra,
Fonte tenet, quocumque ſolo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.
Adſis o tantum, et propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de claſſe biremes,
Remigioque aptat; ſocios ſimul inſtruit armis.
Ecce autem, ſubitum atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſilvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conſpicitur ſus:
Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat, ſacra ferens, et cum grege ſiſtit ad aram.
Tybris ea fluvium, quam longa eſt, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita ſubſtitit unda,
Mitis ut in morem ſtagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abeſſet.
Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo:
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ,
Miratur nemus inſuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos ſuperant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque ſecant placido æquore ſilvas.
Sol medium cœli conſcenderat igneus orbem,

Quum

Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Tura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis;
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;
Et procul e tumulo: Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Evandrum petimus. Ferte hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere o, quicumque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt lucos, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:

Optime Grajugenûm, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos;
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor, et Arcas,
Quodque ab ſtirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et ſancta oracula Divûm,
Cognatique patres, tua terris dicita fama,
Conjunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graji perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui ſuſtinet orbes.
Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit.
At Majam, auditis ſi quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui ſidera tollit.
Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab uno.
His fretus non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipſe, meumque
Objeci caput, et ſupplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur; nos ſi pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant:
Et mare, quod ſupra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, ſunt animi, et rebus ſpectata juventus.
Dixerat Aeneas. Ille os, oculosque loquentis

Jam

Jam dudum, et totum luſtrabat lumine corpus.
Tum ſic pauca refert: Ut te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio agnoſcoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchiſæ magni vultumque recordor!
Nam memini Heſionæ viſentem regna ſororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiæ gelidos inviſere fines.
Tum mihi prima genas veſtibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipſum
Laomedontiaden: ſed cunctis altior ibat
Anchiſes. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram:
Acceſſi, et cupidus Phenei ſub mœnia duxi.
Ille mihi inſignem pharetram, Lyciasque ſagittas.
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quæ nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, juncta eſt mihi fœdere dextra:
Et, lux quum primum terris ſe craſtina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea ſacra hæc, quando huc veniſtis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc ſociorum adſueſcite menſis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet et ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili:
Præcipuumque toro et villoſi pelle leonis
Accipit Aenean, ſolioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque ſacerdos

Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.
Postquam exemta fames, et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Imposuit. Sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primum saxis suspensam hanc adspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci: facies quam dira tenebat
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Cæde tepebat humus; foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque dei. Nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes: vallemque boves amnemque tenebant.
At furis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,

Quat-

Quattuor a ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſisque viarum
Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quærenti nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea, quum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Diceſſu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, et Caci ſpem cuſtodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarſerat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur: et ætherii curſu petit ardua montis.
Tum primum noſtri Cacum videre timentem
Turbatumque oculi. Fugit ilicet ocior
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut ſeſe incluſit, ruptisque immane carenis
Dejecit ſaxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit objice poſtes;
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnemque
Acceſſum luſtrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Luſtrat Aventini montem: ter ſaxea tentat
Limina nequicquam: ter feſſus valle reſedit.
Stabat acuta ſilex, præciſis undique ſaxis,
Speluncæ dorſo inſurgens, altiſſima viſu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus: inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat æther:
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbrosæ penitus patuere cavernæ:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas referet sedes, et regna recludat
Pallida, Dîs invisa; superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga jam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præcipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, et angit inhærens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.

Pan-

Panditur extemplo foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque sætis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit:
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam læti libant, Divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo:
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferant, ut prima novercæ

Monstra manu geminosque premens elíserit angues:
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque Oechaliamque: ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres
Hylæumque, Pholumque manu, tu Cressia mactas
Prodigia, et vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento:
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhoeus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis:
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo,
Et comitem Aenean juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Aeneas, capiturque locis; et singula lætus
Exquiritque auditque virûm monumenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,

Gens-

Gensque virûm truncis et duro robore nata:
Quîs neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ;
Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Tybris:
A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis: matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant, Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Aeneadas magnos, et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum

Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpejam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus, incertum est, habitat deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, quum sæpe nigrantem
Aegida concuteret, dextra nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes: et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ,
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.

At

At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces;
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ: nec te, carissime conjux,
Incassumve tuos volui exercere labores:
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjux.
Adspice, qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat: et niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam: notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit.
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis, et formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, Diva, mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;

Nec Pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est;
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,
Quantum ignes animæque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum; quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum; striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,

Bron-

Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras: pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutuli tres ignis, et alitis Austri.
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbes:
Aegidaque horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Aetnæi Cyclopes; et hue advertite mentem.
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Præcipitate moras. Nec plura effatus: et illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti. Fluit aes rivis, aurique metallum;
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum: septenosque orbibus orbes
Impediunt. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii stridentia tingunt
Aera lacu. Gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Hæc

Hæc pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto
Procedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneæ sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes: ubi Lydia quondam
Gens.

Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes: quid facta tyranni
Effera? Dî capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis:
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre jubent: retinet longævus haruspex
Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.

Sed

Sed mihi tarda gelu sæclisque effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni, mixtus matre Sabella,
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Arma inter nubem, cœli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare,
Obstupuere animis alii; sed Troius heros
Agnovit sonitum et Divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quære profecto,
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram Diva creatrix,

Si

Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volves,
Tybri pater! poscant acies, et fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat hesternumque Larem, parvosque Penates
Lætus adit: mactant lectas de more bidentes,
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exortem Aeneæ; quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, quum primam aciem Præneste sub ipsa

Stravi

Stravi scutorumque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimo Mezentius usquam
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o Superi, et Divûm tu maxime rector
Juppiter, Arcadii, quæso, miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Aeneas inter primos et fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres. Ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis.
Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda,

Quem

Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem, et fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Religione patrum late sacer: undique colles
Inclusere cavi, et nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus ætherios inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro:
En, perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prœlia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.

Ille,

Ille, Deæ donis et tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis, quum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.
Tum læves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus, venturique inscius ævi,
Fecerat Ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres),
Rapta-

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, et dono noctis opacæ:
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo
Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum pœnas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios: his dantem jura Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea; sed fluctu spumabant cærula cano:
Et circum argento clari delphines in orbem

Aequo-

Aequora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prœlia Cæsar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis dîs,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dîs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis et litore rubro,
Aegyptum, viresque Orientis, et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia conjux.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus, æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur. Arva nova Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.
Omnigenûmque Deûm monstra, et latrator Anubis,
Contra Neptunum, et Venerem, contraque Minervam
Tela tenent. Sævit medio in certamine Mavors
Cæla-

Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque immittere funes;
Illam inter cædes, pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis et Japyge ferri;
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina, victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Dîs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per Urbem.
Lætitia ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus: omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus, et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;

Indomitique Dahæ, et pontem indignatus Araxes.
Talia, per clipeum Vulcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero famamque et fata nepotum.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Absente Aenea et in Tuscia conquirendis auxiliis occupato, Turnus, a Junone per Iridem admonitus, ne tantam rei bene gerendæ occasionem amitteret, quam proxime ad hostes copias admovet. Qui cum suis se mœnibus continerent, neque æquo loco facerent dimicandi potestatem, ut illis spem omnem fugæ intercluderet, classem exurere conatur. Erat ejus classis materia ex Idææ Matris luco cæsa: quapropter Matris precibus adductus Jupiter naves omnes incendio eripuit, et in totidem Nymphas marinas convertit. Post hæc imminente jam nocte Turnus adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit: iis Messapum præficit. Interim consulsantibus Tro-

Trojanorum ducibus, quemnam potissimum ad Aeneam mitterent, qui de suorum periculo eum faceret certiorem; ultro eam provinciam suscipiunt Nisus et Euryalus, conjunctissimum amicorum par: qui cum urbe emissi hostium excubias vino somnoque obrutas offendissent, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant, eorumque se spoliis exornant. Verum cum, instante jam luce, se recipere conantur, a Volscentis equitibus conspecti, ad silvas confugiunt. Ibi Euryalus, armorum pondere viaeque errore impeditus, in hostes incidit, et a Volscente, frustra deprecante Niso, confoditur. Nisus quoque, caeso Volscente et Euryali nece strenue vindicata, multis vulneribus confossus super amici corpus concidit. Capita, hastis affixa, in castra deferuntur: ubi a Trojanis e moenibus agnita ingentem in urbe luctum excitant. Interim Turnus suis viribus hostes oppugnat: magna utrimque strages editur. Ibi Ascanius Numanum insolentius se jactantem sagittae ictu interficit. Pandarus et Bitias successu elati portam recludunt, hostesque subeuntes ingenti caede propellunt. Ejus rei nuntio accepto Turnus per portam patentem in oppidum irrumpit, Trojanosque in fugam convertit: tandem, hostium multitudine circumventus, paullatim cedit ad eam oppidi partem, quae fluvio alluitur: et, ut erat armatus, flumen tranans, incolumis ad suos revertitur.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de coelo misit Saturnia Juno

Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus, sacrata valle, sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti Divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.
Aeneas, urbe, et sociis, et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petiit Evandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes:
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra.
Dixit, et in cœlum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas? medium video discedere cœlum,
Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictai vestis et auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,

Quum

Quum refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caycus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, et scandite muros,
Hostis adest, eja. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Aeneas: si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modo, et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, et urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Equis erit mecum, juvenes? qui primus in hostem?
En, ait. Et jaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, et campo se arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono: Teucrûm mirantur inertia corda;
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et improbus ira
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
Ignescunt iræ: duris dolor ossibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circum et fluvialibus undis,
Invadit: sociosque incendia poscit ovantes:
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt; urget præsentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Tæda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat;
Ipsa deum fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:

Has

Has ego Dardanio juveni, quum classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Neu cursu quassatæ ullo neu turbine venti
Vincantur. Prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
O genitrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortalisne manu factæ immortale carinæ
Fas habeant; certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta Deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcumque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse Deas: qualis Nereia Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas,
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita complerant; quum Turni injuria Matrem
Admonuit ratibus sacris depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,

Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite, Deæ pelagi; Genitrix jubet. Et, sua quæque,
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum)
[Quot prius æratæ steterant ad litora proræ]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
Obstupuere animi Rutulis: conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Trojanos hæc monstra petunt: his Juppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus: tot millia, gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa deorum:
Sat satis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troes; sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge prærepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum: quibus hæc medii fiducia valli,

Fossa-

Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos: At non viderunt mœnia Trojæ
Neptuni fabricata manu considere in ignes? 145
Sed vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protenus omnes
Etrusci socios. Tenebras, et inertia furta 150
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in alvo:
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem saxo et pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum. 155
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis. 160
Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,
Delecti: ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes, auroque coruscí:
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos. 165
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas

Explorant, pontesque et propugnacula jungunt: 170
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juveni et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum
est. 175
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Aeneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis:
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum, Trojana neque induit arma; 180
Ora puer prima signans intonsa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido? 185
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant: somno vinoque sepulti
Procubuere: silent late loca. Percipe porro, 190
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt: nam mihi facti

Fama

Fama fat eſt: tumulo videor reperire ſub illo
Poſſe viam ad muros et mœnia Pallantea.
Obſtupuit magno laudum perculſus amore
Euryalus; ſimul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus,
Niſe, fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis adſuetus, Opheltes,
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum, erudiit: nec tecum talia geſſi,
Magnanimum Aenean et fata extrema ſecutus.
Eſt hic, eſt animus lucis contemtor, et iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Niſus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas: non. Ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis hæc adſpicit æquis.
Sed ſi quis (quæ multa vides diſcrimine tali)
Si quis in adverſum rapiat, caſuſve, deusve,
Te ſuperesſe velim: tua vita dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum,
Mandet humo ſolida: aut, ſi qua id Fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulcro.
Neu matri miſeræ tanti ſim cauſſa doloris:
Quæ te ſola, puer, multis e matribus auſa,
Perſequitur, magni nec mœnia curat Aceſtæ.
Ille autem: Cauſſas nequicquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.
Acceleremus, ait. Vigiles ſimul excitat. Illi

Succedunt, servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneæ jam nuntius esset:
Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus æquis,
Aeneadæ: neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Procubuere. Locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. Si Fortuna permittitis uti,
Quæsitum Aenean ad mœnia Pallantea:
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem,
Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Di patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum tales animos juvenum et tam certa tulistis
Pecto-

Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et vultum lacrimis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri: tum cetera reddet
Actutum pius Aeneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracique Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Obtestor: (Quæcumque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis:) revocate parentem:
Reddite conspectum. Nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori, et prædæ ducere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipsum illum, clipeum cristasque rubentes,
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, et comitem casus complector in omnes.

Nulla meis sine te quæretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram; tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantum Fortuna secunda
Haud adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque periclī est
Inque salutatam linquo; Nox, et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnes. Percussa mente dederunt
Dardanidæ lacrimas: ante omnes pulcher Iulus:
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit illa mihi genitrix, nomenque Creusæ
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicumque sequuntur:
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illacrimans: humero simul exuit ensem
Aura-

Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Nisо Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata; sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe.
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto prosabat pectore somnum;
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis; ferroque secat pendentia colla.

Tum

Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra Deo victus: felix, si protenus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes. Incensus et ipse
Perfurit; ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
Ignaros; Rhœtum vigilantem, et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam; et cum sanguine mixta
Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus,
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est; via facta per hostes.

Multa

Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas?
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio quum jungeret absens,
Cædicus: ille suo moriens dat habere nepoti:
Post mortem bello Rutuli prædaque potiti:
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, murosque subibant,
Cum procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa resulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State, viri; quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra:
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes:
Rara per occultos lucebat semita calles.

Eurya-

Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit, jamque imprudens evaserat hostes,
Atque lacus; qui post Albæ de nomine dicti
Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:
Euryale, infelix qua te regione reliqui?
Quave sequar? rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvæ, simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus, et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus; quum clamor ad auras
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:
Tu, Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi;

Hunc

Hunc ſine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat: et toto connixus corpore ferrum
Conjicit. Haſta volans noctis diverberat umbras.
Et venit adverſi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fiſſo tranſit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis ſingultibus ilia pulſat.
Diverſi circumſpiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit haſta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæſit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volſcens, nec teli conſpicit usquam
Auctorem, nec quo ſe ardens immittere poſſit.
Tu tamen interea calido mihi ſanguine pœnas
Perſolves amborum, inquit: ſimul enſe recluſo
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens
Conclamat Niſus: nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, adſum, qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iſte nec auſus,
Nec potuit: cœlum hoc, et conſcia ſidera teſtor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: ſed viribus enſis adactus
Transabiit coſtas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit.
Purpureus veluti cum flos, ſucciſus aratro,
Langueſcit moriens; laſſove papavera collo

De-

Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit: in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atque hinc,
Proturbant. Instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et morientis animam abstulit hosti,
Tum super exanimem sese projecit amicum,
Confossus placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot cæde peremtis,
Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepideque recentem
Cæde locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat, æratasque acies in prœlia cogit:
Quisque suos: variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præ-

Præfigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali, et Nisi.
Aeneadæ duri murorum in parte sinistra
Oppositere aciem (nam dextera cingitur amni),
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis
Stant mœsti: simul ora virûm præfixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali. At subitus miseræ calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et, femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens arque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor: cœlum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, illa senectæ
Sera meæ requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Affari extremum miseræ data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date præda Latinis
Alitibusque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, presstive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, et tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quæ nunc artus, avulsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta,
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela

Cons

Conjicite, o Rutuli; me primam absumite ferro:
Aut tu, magne pater Divûm, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam,
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prœlia vires.
Illam incendentem luctus Idæus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit. Sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci;
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, et scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: quum tamen omnes
Ferre libet subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt. Nam, qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque
Quæ stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes;

At

At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.
Vos, o Calliope, precor; adspirate canenti;
Quas ibi tunc ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit: quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli.
Et meministis enim, divæ, et memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant: Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri; quæ plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quæ peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, et cœlum tonat omne fragore,
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas;
Ut

Ut fera, quæ, denſa venantum ſepta corona,
Contra tela furit, ſeſeque haud neſcia morti
Injicit, et ſaltu ſupra venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hoſtes
Irruit; et, qua tela videt denſiſſima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus, inter et hoſtes,
Inter et arma, fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, ſociûmque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter curſu teloque ſecutus,
Increpat his victor: Noſtrasne evadere, demens,
Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit.
Qualis, ubi aut leporem, aut candenti corpore cygnum,
Suſtulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a ſtabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, et foſſas aggere complent:
Ardentes tædas alii ad faſtigia jactant.
Ilioneus ſaxo, atque ingenti fragmine montis,
Lucetium, portæ ſubeuntem, ignesque ferentem;
Emathiona Liger, Corynæum ſternit Aſylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente ſagitta;
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, et ſummis ſtantem pro turribus Idam:

Priver-

Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit. Ergo alis allapsa sagitta,
Et lævo affixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rumpit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circum
Flumina: pinguis ubi et placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena;
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et Marti prætendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulixes.

Durum ab ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus et undis:
Venatu invigilant pueri, ſilvasque fatigant:
Flectere ludus equos, et ſpicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adſueta juventus
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, verſaque juvencum
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; ſemperque recentes
Comportare juvat prædas, et vivere rapto.
Vobis picta, croco et fulgenti murice veſtis;
Deſidiæ cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma; ubi adſuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecynthia Matris
Idææ. Sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem,
Non tulit Aſcanius; nervoque obverſus equino
Intendit telum, diverſaque brachia ducens
Conſtitit, ante Jovem ſupplex per vota precatus:
Juppiter omnipotens, audacibus annue cœptis.
Ipſe tibi ad tua templa feram ſollemnia dona,
Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, et pedibus qui ſpargat arenam,
Audiit et cœli Genitor de parte ſerena
Intonuit lævum: ſonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum ſtridens adducta ſagitta:

Per-

Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum: 640
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dîs genite, et geniture Deos. Jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident:
Nec te Troja capit. Simul, hæc effatus, ab alto
Aethere se mittit, spirantes dimovet auras, 645
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque, colorem-
que, 650
Et crines albos, et sæva sonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit satis, Aeneide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis: Primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis. 655
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortales medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit aurani.
Agnovere Deum proceres divinaque tela

Dardanidæ, pharetramque fugæ sensere sonantem.
Ergo avidum pugnæ, dictis ac numine Phœbi,
Alcanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ: pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens, pluvialibus Hædis,
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant; quum Juppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem, et cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco silvestris Iæra,
Abietibus juvenes patriis et montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læva pro turribus adstant
Armari ferro, et cristis capita alta corusci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes.
Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,

Et

Et præceps animi Tmarus et Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ,
Et jam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
Ductori Turno, diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere cæde nova, et portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos:
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo. Volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum:
Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dedisset:
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.

Qualis in Euboico Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Conſtructam ponto jaciunt: ſic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illiſa recumbit.
Miſcent ſe maria, et nigræ attolluntur arenæ.
Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis impoſta Typhœo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et ſtimulos acres ſub pectore vertit:
Immiſitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt; quoniam data copia pugnæ:
Bellatorque animos Deus incidit.
Pandarus, ut fuſo germanum corpore cernit,
Et quo ſit fortuna loco, qui caſus agat res:
Portam vi multa converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque ſuorum
Mœnibus excluſos duro in certamine linquit:
Aſt alios ſecum includit recipitque ruentes,
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluſerit urbi:
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis obfulſit, et arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clipeoque micantia fulmina mittunt.
Agnoſcunt faciem inviſam atque immania membra
Turbati ſubito Aeneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ;

Nec

Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram:
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere auræ vulnus; Saturnia Juno
Detorsit veniens; portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus: ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes.
Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim, et succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus. Juno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;

Ignaros deinde in muris Martemque cientes
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum comminus ictu
Cum galea longe jacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque Deorum,
Et magni Aeneæ segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,

Et

Et glomerare manum: ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit: et neque terga
Ira dare aut virtus patitur: nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes:
Bis confusa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere; aëriam cœlo nam Juppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem;
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clipeo juvenis subsistere tantum,
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida æra fatiscunt;
Discussæque jubæ capiti: nec sufficit umbo
Ictibus: ingeminant hastis et Troes et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit: fessos quatit acer anhelitus artus.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter, convocato Deorum concilio, ad concordiam ipsos adhortatur. Ibi Venus de Trojanorum periculo insatiabilique Junonis odio conqueritur, aliquamque tandem tot calamitatum requiem petit. Juno contra malorum omnium causam in Trojanos, veluti primos belli auctores, atque adeo in Venerem ipsam rejicit. Frustra itaque tentata reconciliatione Jupiter, ubi nullum videt esse contentionum finem, ne aut uxorem aut filiam laederet, se neutrarum partium studia secuturum pronuntiat, sed pro sua aequitate omnia fatis esse permissurum. Interim Rutuli totis viribus ad oppugnationem redeunt, non minore animo obsessi se ad defensionem parant. Dum haec in Latio geruntur, Aeneas rebus in Etruria ex animi sententia confectis, multorumque sibi populorum auxiliis adjunctis, triginta navium classe ad suos revehitur. Ibi Nymphas, paullo ante in eam formam ex navibus suis transformatas, obvias habet: ex his et de classis amissione et de suorum periculo certior redditur. Inde in hostium

usque

usque conspectum profectus, copias suas exponit. Rutuli oppugnatione desistunt, occurrentesque ad littus terra hostem prohibere conantur. Magno utrimque detrimento pugnatur. Ibi Pallas, magna prius edita hostium strage, tandem a Turno occiditur. Cujus rei dolore percitus Aeneas, magnos Rutulorum acervos amico inferias mittit: Ascanius quoque eruptione facta suas cum patre copias conjungit. Quibus rebus permota Juno et pro Turno solicita, impetrata a Jove venia, præsenti eum periculo eripit, objecta illi falsa Aeneæ imagine, quam dum in navim quandam fugientem insequitur vinculis a Junone ruptis, vi tempestatis ad littora Ardeæ proxima devehitur. Interim Mezentius Jovis monitu pugnæ succedens, magnum tam Trojanorum quam Etruscorum numerum prosternit; donec ab Aenea hastæ ictu vulneratus, et a Lauso filio protectus, ægre se ad obligandum vulnus ex acie recipit. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulcisci conatur, ab Aenea interficitur: ejus rei nuntio accepto Mezentius conscenso equo in prælium redit: ubi, dum filii mortem vindicare parat, eadem qua filius dextera concidit.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat Divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Cœlicolæ magni, quidnam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne arcessite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum læti componite fœdus.
Juppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O Pater, o hominum Divûmque æterna potestas!
Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?
Cernis ut insultent Rutuli; Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas atque ipsis prælia miscent
Aggeribus mœrorum, et inundant sanguine fossas.
Aeneas ignarus abest. Numquamne levari
Obsidione fines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ: nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem, credo, mea vulnera restant:
Et tua progenies mortalia demoror arma:
Si sine pace tua, atque invito numine, Troes
Italiam petiere; luant peccata: neque illos
Juveris auxilio. Sin tot responsa secuti,
Quæ Superi Manesque dabant; cur nunc tua quisquam
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?

Quid

Quid repetam exuſtas Erycino in litore claſſes?
Quid tempeſtatum regem, ventosque furentes
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet, et ſuperis immiſſa repente
Alecto, medias Italûm bacchata per urbes.
Nil ſuper imperio moveor: ſperavimus iſta,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla eſt regio, Teucris quam det tua conjux
Dura; per everſæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obteſtor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.
Aeneas ſane ignotis jactetur in undis;
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, ſequatur:
Hunc tegere, et diræ valeam ſubducere pugnæ.
Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliæque domus: poſitis inglorius armis
Exigat hic ævum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Auſoniam: Nihil urbibus inde
Obſtabit Tyriis. Quid peſtem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugiſſe per ignes;
Totque maris vaſtæque exhauſta pericula terræ:
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non ſatius, cineres patriæ inſediſſe ſupremos,
Atque ſolum, quo Troja fuit? Xanthum et Simoënta
Redde, oro, miſeris: iterumque revolvere caſus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta ſilentia cogis

Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Aenean hominum quisquam Divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus; esto:
Cassandræ impulsus furiis: Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostri
Egit? Ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra:
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid soceros legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus subducere Grajûm,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes:
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse, nefandum est?
Aeneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera;
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit, consurgere in arma
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?

Tunc

Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis adsurgis, et irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno: cunctique fremebant
Cœlicolæ adsensu vario. Ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt silvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit. Eo dicente Deûm domus alta filescit,
Et tremefacta solo tellus: silet arduus æther:
Tum Zephyri posuere: premit placida æquora pontus.
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Juppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis.

At

At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur:
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Tybris,
Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Hæmon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,
Lucet ebur: fusos cervix cui lactea crines
Accipit, et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere et calamos armare veneno,
Mæonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque irrigat auro.
Affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere mœrorum sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter se duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
Namque ut, ab Evandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque;

Quid-

Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius ar-
ma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet, immiscetque preces: haud sit mora;
Tarchon
Jungit opes, fœdusque ferit: tum libera fati
Classem conscendit jussis gens Lydia Divûm,
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios: Pallasque sinistro
Affixus lateri jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete;
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas: quîs tela, sagittæ
Corytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum Divûmque interpres Asy-
las,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,

Et

Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ:
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, mens omnibus una sequendi,
Qui Cære domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.
Namque ferunt luctu Cygnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit, et mœstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus et Tusci filius amnis:
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua dives avis. Sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca

Min-

Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis Auleſtes, centenaque arbore fluctus
Verberat adſurgens: ſpumant vada marmore verſo.
Hunc vehit immanis Triton et cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in priſtin deſinit alvus;
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subſidio Trojæ, et campos ſalis ære ſecabant.
Jamque dies cœlo conceſſerat: almaque curru
Nocivago Phœbe medium pulſabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipſe ſedens clavumque regit velisque miniſtrat.
Atque illi medio in ſpatio chorus, ecce, ſuarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus eſſe
Juſſerat, innabant pariter, fluctusque ſecabant,
Quot prius æratæ ſteterant ad litora proræ.
Agnoſcunt longe regem, luſtrantque choreis.
Quarum, quæ fandi doctiſſima, Cymodocea
Pone ſequens dextra puppim tenet, ipſaque dorſo
Eminet, ac læva tacitis ſubremigat undis.
Tum ſic ignarum alloquitur: Vigilasne, deûm gens,
Aenea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos ſumus Idææ ſacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, claſſis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor

Quæ-

Quærimus. Hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma jube, et clipeum cape; quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.
Dixerat: et dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et jaculo et ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus: et interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans

Stans celsa in puppi: clipeum cum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris: spes addita suscitat iras:
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant,
Cum sonitu, fugiuntque notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris,
Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præcipere, et venientes pellere terra.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:]
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes Fortuna juvat.
Hæc ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit: multi servare recursus

Lan-

Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu:
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu;
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Arrepta tellure semel. Quæ talia postquam
Effatus Tarchon: socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis;
Donec rostra tenent siccum, et sedere carinæ
Omnes innocuæ. Sed non puppis tua, Tarchon.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo.
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Aeneas, omen pugnæ, stravitque, Latinos;
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Aenean petit. Huic gladio perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum jam matre peremta,
Et tibi, Phœbe, sacrum, casus evadere ferri

Quod

Quod licuit parvo. Nec longe, Ciſſea durum,
Immanemque Gyan, ſternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, usque graves cum terra labores
Præbuit. Ecce Phoro, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum clamanti ſiſtit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum ſequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon;
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande, jaceres:
Ni fratrum ſtipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies, ſeptem numero, ſeptenaque tela
Conjiciunt. Partim galea clipeoque reſultant
Irrita; deflexit partim ſtringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi, non ullum dextera fruſtra
Torſerit in Rutulos, ſteterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. Tum magnam corripit haſtam,
Et jacit: illa volans clipei transverberat æra
Mæonis, et thoraca ſimul cum pectore rumpit.
Huic frater ſubit Alcanor, fratremque ruentem
Sultentat dextra: trajecto miſſa lacerto
Protinus haſta fugit, ſervatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Aenean petiit; ſed non et figere contra

Eſt

Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit, trajecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threicios, Boreæ de gente suprema,
Et tres, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halesus,
Auruncæque manus: subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prœlia ceu tollunt, animis et viribus æquis.
Non ipsi inter se, non nubila, non mare, cedunt:
Anceps pugna diu: stant obnixi omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
Aspera quîs natura loci dimittere quando
Suasit equos; unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi,
Fidite

Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostes
Est via. Qua globus ille virûm densissimus urget:
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos obice pontus:
Deest jam terra fugæ. Pelagus Trojamne petemus?
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit: hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelûm petit, et Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini, Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis:
Te decisa suum, Laride, dextera quærit;
Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant,
Arcadas accensos monitu, et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter

Trajicit. Hoc ſpatium, tantumque moræ fuit
Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat haſtam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus
Cædit ſemanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis æſtate coortis,
Diſperſa immittit ſilvis incendia paſtor;
Correptis ſubito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos;
Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantes:
Non aliter ſociûm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Haleſus
Tendit in adverſos, feque in ſua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti deripit enſe
Elatam in jugulum; ſaxo ferit ora Thoantis,
Oſſaque diſperſit cerebro permixta cruento.
Fata canens ſilvis genitor celarat Haleſum;
Ut ſenior leto canentia lumina ſolvit:
Injecere manum Parcæ, telisque ſacrarunt
Evandri. Quem ſic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Tybri pater, ferro, quod miſſile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Haleſi.
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus: dum texit Imaona Haleſus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lauſus,
Pars ingens belli, ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Ster-

Sternitur Arcadiæ proles; ſternuntur Etruſci;
Et vos, o Grajis inperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus æquis.
Extremi addenſent acies: nec turba moveri
Tela manusque ſinit. Hinc Pallas inſtat et urget,
Hinc contra Lauſus, nec multum diſcrepat ætas,
Egregii formæ; ſed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipſos concurrere paſſus
Haud tamen inter ſe magni regnator Olympi:
Mox illos ſua fata manent majore ſub hoſte.
Interea ſoror alma monet ſuccurrere Lauſo
Turnum; qui volucri curru medium ſecat agmen.
Ut vidit ſocios: Tempus deſiſtere pugnæ;
Solus ego in Pallanta feror; ſoli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.
Hæc ait; et ſocii ceſſerunt æquore juſſo.
At, Rutulum abceſſu, juvenis tum, juſſa ſuperba
Miratus, ſtupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut ſpoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto inſigni. Sorti pater æquus utrique eſt.
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis.
Deſiluit Turnus bijugis; pedes apparat ire
Comminus. Utque leo, ſpecula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prœlia taurum,
Advolat; haud alia eſt Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum miſſæ fore credidit haſtæ,
Ire prior Pallas, ſi qua fors adjuvet auſum

Viribus imparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta;
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrimasque effudit inanes.
Tum Genitor natum dictis affatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot gnati cecidere Deûm: quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Et jam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot æris,
Cum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
Loricæque moras et pectus perforat ingens.

Ille

Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum:
Una eademque via ſanguisque animusque ſequuntur.
Corruit in vulnus: ſonitum ſuper arma dedere:
Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus ſuper adſiſtens: 490
Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt,
Largior. Haud illi ſtabunt Aeneia parvo
Hoſpitia. Et lævo preſſit pede, talia fatus, 495
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impreſſumque nefas: una ſub nocte jugali
Cæſa manus juvenum fœde, thalamique cruenti:
Quæ Clonus Eurytides multo cælaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat ſpolio gaudetque potitus. 500
Neſcia mens hominum fati ſortisque futuræ,
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, et cum ſpolia iſta diemque
Oderit. At ſocii multo gemitu lacrimisque 505
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert!
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos!
Nec jam fama mali tanti, ſed certior auctor 510
Advolat Aeneæ, tenui discrimine leti
Eſſe ſuos; tempus, verſis ſuccurrere Teucris.

Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Cæde nova quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam.
Ille astu subit; ac tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manes, per spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta: jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrûm
Vertitur; aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisæ Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam læva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.
Nec procul Aemonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus colllucens veste atque insignibus armis,

Quem

Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.
Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Cæculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro dejecerat orbem;
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ; truncumque tepentem
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris: aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protenus Antæum et Lycam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum: ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis.
Aegæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem

Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses,
Sic toto Aeneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos: strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversaque ingens apparuit hasta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri: sed non et Troïus heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum lævum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus umbræ.
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
In-

Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: haud talia dudum
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater. 600
Tum, latebras animæ, pectus muerone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt
Ascanius puer et nequicquam obsessa juventus. 605
Junonem interea compellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjux,
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli. 610
Cui Juno submissa: Quid, o pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares
Omnipotens, quin et pugnæ subducere Turnum, 615
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater: et tua larga
Sæpe manu multisque oneravit limina donis. 620
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco

Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis;
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum; spes pascis inanes.
Et Juno allacrimans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras:
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum Dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubasque
Divini adsimilat capitis: dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obita quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit: illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:

Quo

Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem: nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, et ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Aeneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat:
Exsuperatque moras, et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Aeneas absentem in prælia poscit:
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosne (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quæ jam satis ima dehiscat

Terra mihi? vos o potius miserescite, venti.
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, sævisque vadis immittite Syrtes:
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Indnat, et crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an jaciat mediis, et litora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit; juvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert cœlique marisque:
Ipsa immota manens. Prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso

Donat

Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Evanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans
Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus:
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Grajus homo; infectos linquens profugus hymenæos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactæ conjugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans;
Suadet enim vesana fames; si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet, hians immane, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super incumbens: lavit improba teter

Ora cruor:
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exſpirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud eſt dignatus Orodem
Sternere, nec jacta cæcum dare cuſpide vulnus:
Obvius adverſoque occurrit, ſeque viro vir
Contulit, haud furto melior, ſed fortibus armis.
Tum ſuper abjectum poſito pede nixus et haſta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant ſocii lætum pæana ſecuti:
Ille autem exſpirans: Non me, quicumque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem ſubridens mixta Mezentius ira;
Nunc morere. Aſt de me Divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpen:
Partheniumque Rapo, et prædurum viribus Orſen:
Meſſapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi lapſu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius proceſſerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit: Authronium Salius, Saliumque Nealces,
Inſignis jaculo et longe fallente ſagitta.

Jam

Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera; cædebant pariter pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, neque illis.
Dî Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores:
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ;
Dextra mihi Deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint: voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum
Aeneæ. Dixit. Stridentemque eminus hastam
Injicit: illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antorem latus inter et ilia figit:
Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Aeneas hastam jacit: illa per orbem

Aere

Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrimæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et, inutilis, inque ligatus
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Prorupit juvenis, seseque immiscuit armis:
Jamque adsurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit: socii magno clamore sequuntur:
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola; et tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris; ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, majorque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille

Ex-

Exsultat demens: sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit mœsta ad Manes, corpusque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus ut cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Aeneæ magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera ficcabat lymphis, corpusque levabat
Arboris adclinis trunco. Procul ærea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes: ipse æger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam:
Multa super Lauso rogitat, multosque remittit,
Qui revocent, mœstique ferant mandata parentis.

At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum præsaga mali mens,
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ,
Quem genui? Tuane hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exsilium infelix! nunc alte vulnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas odiisque meorum:
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.
Nunc vivo: neque adhuc homines lucemque relinquo,
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in ægrum
Se femur; et, quamquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. Alloquitur mœrentem, et talibus infit:
Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. Aut hodie victor spolia cruenta
Et caput Aeneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati, et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis;

Aere

Aere caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.
Sic curſum in medios rapidus dedit. Aeſtuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque inſania luctu,
[Et Furiis agitatus amor, et conſcia virtus:]
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas agnovit enim, lætusque precatur:
Sic pater ille Deûm faciat, ſic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infeſta ſubit obvius haſta.
Ille autem: Quid me erepto, ſæviſſime, nato
Terres? hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes.
Nec mortem horremus, nec Divûm parcimus ulli.
Deſine. Jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorſit in hoſtem:
Inde aliud ſuper atque aliud figitque volutatque
Ingenti gyro: ſed ſuſtinet aureus umbo.
Ter circum adſtantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens: ter ſecum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine ſilvam.
Inde ubi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet
Vellere, et urgetur pugna congreſſus iniqua;
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit haſtam.
Tollit ſe arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troesque, Latinique.

Ad-

Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,
Et super hæc: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas: nec sic ad prœlia veni:
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem:
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Occiso Mezentio victor Aeneas Marti tropæum erigit: Pallantis mortui corpus magno pompæ apparatu ad

ad Evandri urbem remittit: ubi summo et patris et suorum omnium luctu excipitur. Interim oratores a Latinis missi dierum duodecim inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt, supremoque sepulturæ honore prosequuntur. Eodem quoque tempore Venulus, quem sub belli initium legatum ad Diomedem miserant Latini, ad suos rediens auxilia sibi denegata renuntiat. Ea spe destitutus Latinus, consilio convocato de summa belli consultat, legatosque de pacis conditionibus ad Aeneam mittendos censet. Ibi Drances et Turnus pro inveterato inter ipsos odio se mutuis conviciis proscindunt. Interim Aeneas, bipartito divisis copiis, levis armaturæ equites planis itineribus ad urbem præmittit: ipse cum reliquo exercitu per loca silvis montibusque impedita ad editiorem oppidi partem contendit. Cujus rei nuntio Laurentum perlato consilium dimittitur: paranturque ea, quæ ad urbis defensionem putantur pertinere. Turnus cognito per exploratores Aeneæ consilio bifariam et ipse suas copias partitur: equitibus Messapum et Camillam præficit, eosque hostium equitibus opponit; ipse cum peditibus angustias, qua necessario Aeneæ ad urbem iter erat, breviori itinere occupat, atque ibi in insidiis subsistit. Interim equestre prælium committitur, diuque dubio utrimque eventu pugnatur. Ibi Camilla, magna prius edita hostium strage, dum Chloreum, Cybeles sacerdotem, armorum ejus pulchritudine capta, incautius sequitur, ex insidiis ab Arunte hasta trajicitur. Quam tamen sacræ virginis cædem Aruns non diu tulit inultam: nam et ipse

paulo

paullo post ab Opi, Dianæ ministra, sagitta vrajectus offensi numinis pœnas persolvit. Camillæ nece consternata Rutuli fugam arripiunt: Trojani urbis oppugnationem parant. Ejus calamitatis nuntio ab Acca, Camillæ comite, ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis, suis auxilio accurrit. Eodem subsequitur et Aeneas; et, quoniam imminente jam nocte prælium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris considunt.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,
Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; ubi, magne, tropæum,
Bellipotens; aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri: timor omnis abesto,
Quod superest: hæc sunt spolia, et de rege superbo
Primitiæ: manibusque meîs Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum;

Ne

Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint Superi, pubemque educere castris,
Impediat, segnesque metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus: mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait illacrimans recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior: qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnes famulumque manus Trojanaque turba
Et mœstum Iliades crinem de morte solutæ.
Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis:
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, lævique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres

Acres esse viros, cum dura prœlia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Hæc mea magna fides? At non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum adspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates, et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis, et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi:
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit:
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestes, auroque ostroque rigentes
Extulit Aeneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni supremum mœstus honorem

In-

Induit; arsurasque comas obnubit amictu:
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos, et tela, quibus spoliayerat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam:
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur, et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Aethon
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo fineret succedere terræ;
Nullum cum victis certamen et æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.

Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, et verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremtis
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet; cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Olli obstupuere silentes;
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,
Per silvas Teucri, mixtique impune Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat icta bipenni

Fraxi-

Fraxinus: evertunt actas ad sidera pinus:
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procumbit super, atque hæret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti! —
Cautius ut sævo velles te credere Marti! —
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset. —
Primitiæ juvenis miseræ! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita Deorum
Vota precesque meæ! tuque, o sanctissima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes

Reſtarem ut genitor. Troum ſocia arma ſecutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipſe dediſſem,
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec, quas
Junximus hoſpitio, dextras: ſors iſta ſenectæ
Debita erat noſtræ. Quod ſi immatura manebat
Mors natum: cæſis Volſcorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidiſſe juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis:
Eſſet par ætas, et idem ſi robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis? 175
Vadite, et hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror inviſam, Pallante peremto,
Dextera cauſſa tua eſt; Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi ſolus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro, 180
Nec fas: ſed nato Manes perferre ſub imos.
Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Aeneas, jam curvo in litore Tarchon
Conſtituere pyras: Huc corpora quisque ſuorum 185
More tulere patrum; ſubjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accenſos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter mœſtum funeris ignem

Luſtra-

Luſtravere in equis; ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, ſparguntur et arma.
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alii ſpolia occiſis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, enſesque decoros,
Frenaque, ferventesque rotas: pars munera nota,
Ipſorum clipeos, et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Sætigerosque ſues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
Ardentes ſpectant ſocios, ſemiuſtaque ſervant
Buſta; neque avelli poſſunt; nox humida donec
Invertit cœlum ſtellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miſeri diverſa in parte Latini
Innumeras ſtruxere pyras, et corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cetera, confuſæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore, cremant; tunc undique vaſti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:
Mœrentes altum cinerem et confuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis, prædivitis urbe Latini,
Præcipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miſeræque nurus, hic cara ſororum

Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno: et magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super mœsti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendam.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Aenean manifesto numine ferri,
Admonet ira Deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus ævo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;

Atque

Atque iter emensi casus superavimus omnes;
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Japygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Munera præferimus, nomen patriamque docemus:
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, et scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervæ
Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exsulat; Aetnæos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque penates
Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit: devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem!

Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean: stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros: ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Aeneæque manu victoria Grajûm
Hæsit, et in decumum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime, regis
Audisti, et quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnes, sit clauso gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.

Ut

Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Præfatus Divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente Deorum,
Invictisque viris, gerimus: quos nulla fatigant
Prœlia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam adscitis Aetolum habuistis in armis.
Ponite; spes sibi quisque. Sed hæc, quam angusta, videtis.
Cetera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos,
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam

Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos:
Munera portantes aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances, idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque siniſtros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis

Des-

Des pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror;
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat, jus proprium regi patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne: simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en, supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger mœrorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi: meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos

Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignes agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos! quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis,
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello. Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,
Nunc et Tydides, et Lariſſæus Achilles:
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
Numquam animam talem dextra hac (absiste moveri)

Amit-

Amittes: habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum;
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes.
Quamquam, o, si solitæ quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxiliisque urbes Italæ populique supersunt:
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine: (sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas) cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus, et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces. Nec tarda sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentes ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,

Idque placet, tantumque bonis communibus obsto;
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat. Et, vocet oro.
Nec Drances potius, sive est hæc ira Deorum,
Morte luat: sive est virtus et gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum, totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt: fremit arma juventus.
Flent mœsti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.
Haud secus, atque alto in luco cum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit se et tectis citus extulit altis.

Tu,

Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis:
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Meſſapus in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turresque capeſſant:
Cetera, qua juſſo, mecum manus inferat arma.
Illicet in muros tota diſcurritur urbe.
Concilium ipſe pater et magna incepta Latinus
Deſerit, ac triſti turbatus tempore differt:
Multaque ſe incuſat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean, generumque adſciverit, urbi.
Præfodiunt alii portas, aut ſaxa ſudesque
Subvectant: bello dat ſignum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronæ puerique: vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum ſummasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Cauſſa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, et templum ture vaporant;
Et mœſtas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, præſes belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipſum
Pronum ſterne ſolo, portisque effunde ſub altis.
Cingitur ipſe furens certatim in prœlia Turnus.
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus ahenis
Horrebat ſquamis, ſurasque incluſerat auro,
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat enſem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce;

Ex-

Exsultatque animis, et spe jam præcipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis,
Tandem liber equus campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut adsuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians: luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis. Tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis:
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,

Tibur-

Tiburnique manus: ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in prœlia dictis
Hortatur, sociosque duces; et pergit in hostem.
Est curvo anfractu vallis, adcommoda fraudi
Armorumique dolis; quam densis frondibus atrum
Urget utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ;
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristi Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis.
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,
Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugæ medio, summis Amasenus abundans
Spu-

Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix hæc sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ:
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente caterva,
Dat se fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviæ de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Hinc natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto:

Spi-

Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena:
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum: Sola contenta Diana,
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi, comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicumque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cœli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis;
Compositi numero in turmas. Fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis
Huc obversus et huc: tum late ferreus hastis

Horret

Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent: hastasque reductis
Prætendunt longe dextris, et spicula vibrant:
Adventusque virûm fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos: fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, cœlumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt: Excussus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troes agunt: princeps turmas inducit Asylas.
Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa,

Saxa, fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos:
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prœlia, totasque
Implicuere inter se acies, legitque virum vir;
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti cæde virorum
Semanimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri: nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnæ, pharetrata Camilla:
Et nunc lenta manu spargens hastilia densat:
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securem,

Ita-

Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threïciæ cum flumina Thermodontis
Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunæum Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden: sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Japyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus. Ipse catervis

Ver-

Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protenus Orsilochum, et Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto:
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus hæsit,
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit;
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te comminus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit: at illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,

Enſe pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, viciſſe dolo ratus, avolat ipſe,
Haud mora, converſisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, fruſtraque animis elate ſuperbis,
Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Tranſit equum curſu, frenisque adverſa prehenſis
Congreditur pœnasque inimico ex ſanguine ſumit.
Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſamque tenet, pedibusque eviſcerat uncis;
Tum cruor, et vulſæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum ſator atque deorum
Obſervans oculis ſummo ſedet altus Olympo.
Tyrrhenûm genitor Tarchonem in prœlia ſæva
Suſcitat, et ſtimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque inſtigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitque in prœlia pulſos.
Quis metus, o numquam dolituri, o ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,

Ex-

Exſpectare dapes, et plenæ pocula menſæ,
(Hic amor, hoc ſtudium) dum ſacra ſecundus haruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios, moriturus et ipſe,
Concitat, et Venulo adverſum ſe turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra complectitur hoſtem,
Et gremium ante ſuum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus æquore Tarchon,
Arma virumque ferens; tum ſumma ipſius ab haſta
Detringit ferrum; et partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Suſtinet a jugulo dextram, et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæſit:
Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectisque horret ſquamis, et ſibilat ore,
Arduus inſurgens: illa haud minus urget obunco
Luctantem roſtro; ſimul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque ſecuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo et multa prior arte Camillam
Circuit, et, quæ ſit fortuna facillima, tentat.
Qua ſe cumque furens medio tulit agmine virgo:
Hac Arruns ſubit, et tacitus veſtigia luſtrat;
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoſte reportat:
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.

Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; et certam quatit improbus hastam.
Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis aheнis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo prædæ et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:
Summa Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur: et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsæve tropæum
Virginis, aut spolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta

Facta ferent. Hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit: partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque Notos vocem vertere procellæ.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acres, oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ,
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli;
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnes exterritus Arruns,
Lætitia mixtoque metu: nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit;
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Concentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis: labuntur frigida leto
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,

Alloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potuit nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla,
Et captum leto posuit caput, arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejecta crudescit pugna Camilla:
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenûmque duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte: neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit; aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum

An-

Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem;
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc perituræ veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. Tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli: fugit acer Atinas:
Disjectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussæ pectora matres
Femineum clamorem ad cœli sidera tollunt.

Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: orituque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in præcipites fossas, urgente ruina,
Volvitur: immissis pars cæca et concita frenis
Arietat in portas et duros obice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres,
(Monstrat amor verus patriæ,) ut videre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in silvis sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse: metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens, et sæva Jovis sic numina poscunt,
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:
Cum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur

Agmi-

Agnine, nec longis inter se passibus absunt;
At simul Aeneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et savum Aenean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum:
Continuoque ineant pugnas, et prælia tentent;
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Hibero
Tinga: equos, noctemque die labente reducat.
Consicunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Attritis duobus adversis prœliis Latinorum viribus, animisque eorum fractis, Turnus, ubi omnem spem suam in se ipso sitam videt, frustra dissuadente Latino, reginaque multis cum lacrimis nequicquam retinente, singulari certamine cum Aenea dimicare statuit: ejusque rei Aeneam per quendam ex suis, Idmonem nomine, facit certiorem. Accipit conditionem Aeneas, solennique utrimque sacramento fœdus sanci-

tur. Id Junonis impulsu a Juturna Nympha, Turni sorore, in falsam Camertis imaginem conversa perturbatur: primusque omnium Tolumnius augur, falso augurio certam suis victoriam promittens, unum ex Gylippi filiis hasta trajicit. Aeneas quoque, dum subiti tumultus caussam ignorans suos revocare conatur, ab incerto auctore sagitta vulneratus, prælio excedere cogitur. Qua re intellecta Turnus, magnam sibi rei bene gerendæ occasionem oblatam ratus, ingentem hostium stragem edit. Interim Venus decerpto ex Ida Cretensi dictamno herba, filio suo medetur. Refectis viribus Aeneas, Ascanium paucis suo exemplo ad virtutem cohortatus, suis auxilio occurrit, Turnumque nominatim ad pugnam deposcit. Verum, cum Turnus sui copiam non faceret (Juturna enim, quæ excusso Metisco auriga currum ejus moderabatur, in diversam semper partem habenas deflectens, congredi eos non patiebatur), oppugnandæ urbis consilium capit: admotoque ad mœnia exercitu, in propugnacula proximaque ædificia ignem conjicit. Ibi Amata, cum Turnum occisum arbitraretur, doloris impatientia laqueo vitam finit. His rebus Turno per Sacem nunciatis, cum eo rem redactam videret, ut sibi necessario dimicandum esset, nisi perpeti mallet sociorum urbem, se inspiciente, in hostium potestatem pervenire, ultro Aeneam ex præscripto fœderis ad singulare certamen provocat. Ea pugna superior Aeneas, cum victi hostis precibus jam pene ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris ejus balteo, quem occiso Pallanti Turnus detraxerat, repente ira accensus, gladio per pectus adacto eum vita spoliat.

Tur-

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento.
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ, (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam;
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris;
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: simul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum

Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis et mœstæ lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero: arma impia sumsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus;
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Feminea tegat; et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita sorte,
Flebat; et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatæ

Tan-

Tangit honos animum: (spes tu nunc una, senectæ
Tu requies miseræ: decus imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit)
Unum oro: desiste manum committere Teucris. 60
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem 65
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus: 70
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:
Ne, quæso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno 75
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit:
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrûm arma quiescant
Et Rutulum. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjux Lavinia campo. 80
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes:
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia:
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt 85

Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichaleo
Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque clipeumque, et rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
His agitur furiis. Totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prœlia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sævus in armis
Aeneas acuit Martem, et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios, mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens: regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies; cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;

Cam-

Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus urbis
Dimenſi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos, et Dîs communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati lino, et verbena tempora vincti.
Procedit legio Auſonidum, pilataque plenis
Agmina ſe fundunt portis. Hinc Troïus omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant oſtroque decori,
Et genus Aſſaraci Mneſtheus, et fortis Aſylas,
Et Meſſapus equûm domitor. Neptunia proles.
Utque dato ſigno ſpatia in ſua quisque receſſit:
Defigunt tellure haſtas, et ſcuta reclinant.
Tum ſtudio effuſæ matres, et vulgus inermum,
Invalidique ſenes, turres et tecta domorum
Obſedere: alii portis ſublimibus adſtant.
At Juno e ſummo, qui nunc Albanus habetur
Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti,
Proſpiciens tumulo campum adſpectabat, et ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem,
Diva Deam, ſtagnis quæ fluminibusque ſonoris
Præſidet; hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate ſacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratiſſima noſtro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum adcendere cubile,

Prætulerim, cœlique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me inculses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam adspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu, pro germano si quid præsentius audes,
Perge: decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: quum lacrimas oculis Juturna profudit.
Terque quaterque manu pectus percussit honestum;
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo, et cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem

Dant

Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et hæc mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia Juno:
Jam melior, jam, Diva, precor: tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:
Fontesque, Fluviosque voco, quæque Aetheris alti
Religio, et quæ cæruleo sunt Numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno;
Convenit Evandri victos discedere ad urbem:
Cedet Iulus agris: nec post arma ulla rebelles
Aeneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis Victoria Martem,
(Ut potius reor, et potius Dî numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto. Paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Imperium sollemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deûm infernam, et duri sacraria Ditis:
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit:
Tango aras; medios ignes et Numina testor:

Nulla

Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, cœlumque in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc, dextra sceptrum nam forte gerebat,
Numquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum semel in silvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu:
Tum magis, ut propius cernunt non viribus æquis.
Adjuvat incessu tacito progressus, et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam adsimulata Camerti;
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis;
In medias dat se acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? En, omnes et Troes, et Arcades, hi sunt,

Fata-

Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto
Dat signum cœlo; quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra
Litoreas agitabat aves turbamque sonantem
Agminis aligeri; subito cum lapsus ad undas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam; mirabile visu;
Aetheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus: primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi.

Acci-

Accipio, agnoscoque Deos: me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo;
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum. Hinc densi rursus inundant
Troes, Agyllinique, et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto fœdere Divos.
Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.

Messa-

Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere fœdus,
Adverſo proterret equo: ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat haſta
Meſſapus, teloque orantem multa trabali
Deſuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: hæc melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, ſpoliantque calentia membra.
Obvius ambuſtum torrem Corynæus ab ara
Corripit, et venienti Ebuſo plagamque ferenti
Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambuſta dedit. Super ipſe ſecutus
Cæſariem læva turbati corripit hoſtis,
Impreſſoque genu nitens terræ applicat ipſum:
Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Acſum
Paſtorem, primaque acie per tela ruentem,
Enſe ſequens nudo ſuperimminet: ille ſecuri
Adverſi frontem mediam mentumque reducta
Diſjicit, et ſparſo late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat:
Quo ruitis? quæve iſta repens diſcordia ſurgit?
O cohibete iras! ictum jam fœdus, et omnes
Compoſitæ leges: mihi jus concurrere ſoli:
Me ſinite, atque auferte metus. Ego fœdera faxo
Firma

Firma manu: Furnum jam debent hæc mihi ſacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt,
Incertum, qua pulſa manu, qua turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, caſusne, Deusne,
Attulerit. Preſſa eſt inſignis gloria facti:
Nec ſeſe Aeneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, ſubita ſpe fervidus ardet:
Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuque ſuperbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes
Bello movens immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant. Gemit ultima pulſu
Thraca pedum, circumque atræ Formidinis ora,
Iræque, Inſidiæque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prœlia Turnus
Fumantes ſudore quatit, miſerabile cæſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena:
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc, congreſſus, et hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbraſidas, Glaucum atque Laden, quos Imbraſus ipſe Nu-

Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis;
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia media Eumedes in prœlia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto:
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tingit jugulo; atque hæc insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Therstlochumque:
Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Aegæo, sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere; fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.

Non

Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Objecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota præcipitem et procursu concitus axis
Impulit, effunditque solo: Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus:
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Sævit, et infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx
Jasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno juvenum et mœrentis Iuli
Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto

Pæo-

Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo
Subvenit: et sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlum
Stare vident: subeuntque equites, et spicula cæstris
Densa cadunt mediis. It tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans: spargitque salubris
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapyx
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro; quid statis? Iapyx
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt; neque te, Aenea, mea dextera servat:

Major

Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ ſuras incluſerat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, haſtamque coruſcat.
Poſtquam habilis lateri clipeus loricaque tergo eſt,
Aſcanium fuſis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oſcula fatur:
Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem:
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, et magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Aeneas, et avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: ſimul agmine denſo
Antheusque Mneſtheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit caſtris. Tum cæco pulvere campus
Miſcetur, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverſo venientes aggere Turnus,
Videre Auſonii, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit agnovitque ſonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium: miſeris, heu, præſcia longe
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis; ruet omnia late:
Ante volant, ſonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adverſos ductor Rhœteius hoſtes
Agmen agit: denſi cuneis ſe quisque coactis
Agglomerant. Ferit enſe gravem Thymbræus Oſirim,

Arche-

Archetium Mneſtheus, Epulonem obtruncat Achates,
Uſentemque Gyas. Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in adverſos telum qui torſerat hoſtes.
Tollitur in cœlum clamor, verſique viciſſim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipſe neque averſos dignatur ſternere morti;
Nec pede congreſſos æquo, nec tela ferentes
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.
Hoc concuſſa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiſcum
Excutit, et longe lapſum temone relinquit.
Ipſa ſubit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, et corpus, et arma Metiſci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, et pennis alta atria luſtrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus eſcas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna ſonat: ſimilis medios Juturna per hoſtes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hic germanum, jamque hic oſtentat ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbes,
Veſtigatque virum, et disjecta per agmina longa
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hoſtem,
Alipedumque fugam curſu tentavit equorum;
Averſos toties currus Juturna retorſit.
Heu, quid agat, vario nequicquam fluctuat æſtu
Diverſæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Meſſapus, uti læva duo forte gerebat

Lenta, levis cursu, præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Aeneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt iræ, insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem et læsi testatur fœderis aras,
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat; irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Juppiter, æterna gentes in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanaimque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arca-

Arcada: piſcoſæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Limina: conductaque pater tellure ſerebat.
Ac velut immiſſi diverſis partibus ignes
Arentem in ſilvam et virgulta ſonantia lauro;
Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, et in æquora currunt,
Quisque ſuum populatus iter: non ſegnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per prœlia: nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur neſcia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murrhanum hic, atavos et avorum antiqua ſonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem ſcopulo atque ingentis turbine ſaxi
Excutit, effunditque ſolo. Hunc lora et juga ſubter
Provolvere rotæ: crebro ſuper ungula pulſu
Incita nec domini memorum proculcat equorum;
Ille ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo ſtetit haſta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajûm fortiſſime, Cretheu,
Eripuit Turno: nec Dî texere Cupencum,
Aenea veniente, ſui; dedit obvia ferro
Pectora: nec miſero clipei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere, et late terram conſternere tergo;
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum everſor Achilles;
Hic tibi mortis erant metæ: domus alta ſub Ida;

Lyrneſſi domus alta, ſolo Laurente ſepulcrum.
Totæ adeo converſæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mneſtheus, acerque Sereſtus,
Et Meſſapus equûm domitor: et fortis Aſylas,
Tuſcorumque phalanx, Evandrique Arcades alæ.
Pro ſe quisque viri ſumma nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vaſto certamine tendunt.
Hic mentem Aeneæ Genitrix pulcherrima mihi,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, et ſubita turbaret clade Latinos.
Ille ut, veſtigans diverſa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; adſpicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago;
Mneſthea, Sergeſtumque vocat, fortemque Sereſtum,
Ductores, tumulumque capit; quo cetera Teucrûm
Concurrit legio: nec ſcuta aut ſpicula denſi
Deponunt. Celſo medius ſtans aggere fatur:
Ne qua meis eſto dictis mora. Juppiter hac ſtat.
Neu quis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito.
Urbem hodie, cauſſam belli, regna ipſa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua ſolo fumantia culmina ponam.
Scilicet exſpectem, libeat dum prœlia Turno
Noſtra pati; rurſusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli ſumma nefandi,
Ferte faces propere, fœdusque repoſcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; denſaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviſo, ſubitusque apparuit ignis.

Dis-

Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Aeneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque Deos, iterum se ad prœlia cogi:
Bis jam Italos hostes; hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii referare jubent, et pandere portas
Dardanidis; ipsumque trahunt in mœnia regem.
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros.
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor;
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare:
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exstinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ:
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cetera circum

Turba, furit: resonant latæ plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes: it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans:
[Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.]
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minus atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus urbis, et illætabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis, et prœlia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O soror, et dudum, agnovi, cum prima per artem
Fœdera turbasti, teque hæc in bella dedisti:
Et nunc nequicquam fallis Dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?

An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem,
Murrhanum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Adspiceret. Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem hæc terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes
Este boni: quoniam Superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum;
Turne, in te suprema salus: miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt: mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tui fidissima, dextra

Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, et lux reddita menti,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat:
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quo Deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneæ, stat, quicquid acerbi est,
Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis:
Perque hostes, per tela ruit: mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum, de vertice præceps
Cum ruit, avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,

Fertur

Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque
Involvens secum: Disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ:
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini:
Quæcumque est Fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces;
Præcipitatque moras omnes: opera omnia rumpit:
Lætitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero et Rutuli certatim, et Troes, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut, ingenti Sila, summove Taburno,

Cum duo conversis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt: pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur:
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis. Ingens fragor æthera complet.
Juppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prœlia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma Dei ad Vulcania ventum,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.

Ergo

Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu, canis et latratibus, instat:
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor: ripæque lacusque
Responsant circa, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Præmia: sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris

Hic

Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, et votas ſuſpendere veſtes.
Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.
Hic haſta Aeneæ ſtabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, et lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene; colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contra Aeneadæ bello fecere profanos.
Dixit, opemque Dei non caſſa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in ſtirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morſus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer, et inſtat,
Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci
Procurrit, fratrique enſem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Acceſſit, telumque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus haſta,
Adſiſtunt contra certamina Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Aenean ſcis ipſa, et ſcire fateris,
Deberi

Deberi cœlo, fatisque ad ſidera tolli.
Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere divum?
Aut enſem (quid enim ſine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim creſcere victis?
Deſine jam tandem, precibusque inflectere noſtris:
Nec te tantus edat tacitam dolor: et mihi curæ
Sæpe tuo dulci triſtes ex ore recurſent.
Ventum ad ſupremum eſt. Terris agitare, vel undis,
Trojanos potuiſti: infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miſcere hymenæos;
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orſus;
Sic Dea ſubmiſſo contra Saturnia vultu:
Iſta quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter: et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëria ſolam nunc ſede videres
Digna indigna pati; ſed flammis cincta ſub ipſam
Starem aciem, traheremque inimica in prælia Teucros.
Juturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri
Suaſi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:
Adjuro Stygii caput implacabile fontis:
Una ſuperſtitio ſuperis quæ reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exoſa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus, eſto,
Component, cum jam leges et fœdera jungent:

Ne

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium: sint Albani per sæcula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit: commixti corpore tanto
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis:
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud Genitor secum ipse volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium, sævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,
Si quando letum horrificum morbosque Deûm rex
Molitur; meritas aut bello territat urbes.

Harum

Harum unam celerem demisit ab æthere summo
Juppiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta;
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit;
Stridens, et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni;
Alitis in parvæ subitam collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis,
Nocte, sedens, serum canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
At, procul ut Diræ, stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora, soror, fœdans, et pectora pugnis;
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Letalemque sonum. Nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores

Nunc


Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, Manesque Deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio Dea condidit alto.
Aeneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est comminus armis.
Verte omnes tete in facies; et contrahe, quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; Dî me terrent, et Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens, et cursu concitus, heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem;
Genua labant: gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

Ac

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum Dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, et clipei extremos septemplicis orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro, (fuit et tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,

Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia conjux:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cum apparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0510
DFG


LBMV Schwerin
004 154 142
33

Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1805726706/phys_0513
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1805726706/phys_0514
DFG

per aëra lapſæ
bore ſidunt:
ra refulſit.
viſcum 205
ſua ſeminat arbos,
e truncos.
opaca
a vento.
usque refringit 210
tecta Sibyllæ.
in litore Teucri
ma ferebant,
bre ſecto
rondibus atris 215
cupreſſos
fulgentibus armis.
lantia flammis
igentis et ungunt.
lefleta reponunt, 220
mine nota,
re feretro,
m more parentum
ta cremantur
res olivo. 225
mma quievit;
re favillam:
us aheno,
t unda,
s olivæ: 230
viſſima verba.

At